



**Ad confutationem D. Danielis Hofmanni in academia  
Helmstadiana theologi, quam is convitiis refertam  
antithesibus contra disputationes suas ante triennium editis,  
nuper opposuit; modesta et solida responsio**

<https://hdl.handle.net/1874/432605>

qu

AD CONFUTATIONEM  
**D. DANIELIS**  
**HOFMANNI** IN ACADEMIA HELMSTADIANA  
 THEOLOGI, QUAM IS CONVITIIS REFERTAM  
 Antithesibus contra disputationes  
 suas ante triennium editis, nuper  
 opposuit;

MODESTA ET SOLIDA  
 RESPONSIO.

*Authore*

**UBBIO EMMONE FRISIO,**  
 Scholæ Leranæ Rectore.

AMICA VERITAS.



HERBORNÆ NASSOVIORUM;  
 Ex officina Christophori Corvini.

—  
 clō 1ō XCI.

THE  
MUSEUM

OF THE  
CITY OF BOSTON

OF THE  
MUSEUM

OF THE  
CITY OF BOSTON

OF THE  
MUSEUM

OF THE  
CITY OF BOSTON

OF THE  
MUSEUM

OF THE  
CITY OF BOSTON

OF THE  
MUSEUM

SACRAE THEOLOGIAE  
ET BONARUM ARTIUM STU-  
DIOSIS IN SCHOLA JULIA APUD  
Helmstadianos SALUTEM.



Misit nuper contra Antitheses me-  
as jam ante triennium editas Da-  
niel Hofmannus vester in Theolo-  
gia Antecessor, studiosi atq. optimi  
juvenes, libellum maledicum & virulentum,  
cui Confutationis titulum dedit. In eo quoniam  
& veritati vim facere conatus est, & omnibus  
probris per convitia meam famam studuit asper-  
gere: necessitas atem mihi imposuit duplicem, ut  
publice quoq. ipsi respondeam. Nam & veri-  
tas ubiq. patrocinio digna est, & virum bo-  
num nihil aequè decet, quàm nomen suum ab  
infamia tueri. Et quoniam ad vos ille confuta-  
tionem suam, aut invectionem potius, recita-  
vit, ipsa res monet, ut responsionem quoq.  
meam ad vos mittam, vestroq. nomini potis-  
simum inscribam. Ita enim ad lectionem invi-  
tati, audita utraq. parte, quod lex Attica fieri  
jussit, rectius de re cognoscere, veritatemq.  
omnium favore dignissimamprehendere, de-  
niq. iniqui iudicii temeritatem vitare poterit.  
Graviter quippe a sapiente viro dictum est,  
Qui statuit aliquid inaudita parte altera,  
æquum licet statuerit, haud æquus fuit. A  
qua culpa quot quot vestrum abesse volunt, eos



P R Æ F A T I O

confido, hanc dedicationem meam non modo non moleste laturos, sed etiam gratam habituros: praesertim cum a studioso bonarum sacrarumq; literarum, ac veritatis amante, quae vos etiam omnes in professo habetis, ea proficiatur. Itaque, quod superest, vos rogo atq; obsecro, ut positis praedictis, quibus nihil inimicus est sincerae veritatis cognitioni, ad lectionem hujus scripti accedere, & equis animis nostram controversiam cognoscere velitis: memoresq; semper sitis Aristotelici illius summe laudati dicti: φίλον μὲν ὁ Σωκράτης, φίλον δὲ καὶ ὁ Πλάτων, ἀλλὰ μᾶλλον φίλον ἢ ἀλήθεια. Valet. Lera Frisiorum. Anno Domini 1591.

Ubbius Emmo Fris.

I  
AD CONFUTATIO-  
NEM D. DANIELIS HOFMANNI  
THEOLOGIAE DOCTORIS IN ACADEMIA  
Helmstadiana, convitiis plenam,  
MODESTA ET SOLIDA RESPONSIO.

**R**espondes veró tandem, Hofman-  
ne, Doctorum (ut ipse tibi vide-  
ris) doctissime & maxime, á trien-  
nio feré, quám meæ Antitheses  
contra te fuerunt editæ: & sané  
ita respondes, ut gratias tibi eo nomine deberi  
censeam, quód animum tuum in hoc responso  
omni detracta hypocrisis conspiciendum nobis  
exhibeas. Etenim si triennii spacium tibi  
bilem eam detrahere, quam ex scripto non im-  
modesto quidem, sed tuis opinionibus adver-  
so, contraxeras, si sedare tumultus mentis tuæ  
hujus lectione excitatos haud potuit, quin  
convitiis atrocibus in authorem nulla alia tibi  
injuria unquam cognitum desævires, solumq;  
contradicere tibi ausum tam acerbé ulciscere-  
re: Primúm quo supercilio, ac arrogantia,  
quám intolerabili superbia, quanto in homi-  
nes odio, quanta iracundia sis, quis videre ne-  
quit? Considera quæso ipse, & expende me-  
cum, quæ tu probra, quám acerba ac contu-  
meliosa in me præter rationem singulis propé  
paginis cumules, quæ tenebrionum, flagratio-  
num, vespertilionum, agyrtarum, scelerato-

rum, calumniatorum, sycophatarum, imo diabolorum & Satanarum nomina ubique inculces, atq; pro argumentis usurpes. Quæ si tibi pudorem non incutiunt, quoties de iis cogitas: profectò satis produnt, non te magis similem esse discipuli Christi, quàm Papa similis est Apostoli. Christus enim ut mitis & humilis ipse erat, ita easdem illas virtutes suis quoque commendabat, cum diceret: Discite à me, quoniam ego mitis sum, & humilis corde: & Apostolus spiritu Christi præditus præcipit, ut tollerent alii alios cum omni mansuetudine, etiam dissentientes, fugiantque amaritudinem: idemque jubet Episcopum esse non pertinacem, non sibi placentem, non iracundum, non vaniloquum, non contentiosum: sed longanimem, sed placidum erga omnes, tolerantem etiam injurias. A quibus tam longe tua illa absunt, quorum usu impensius te deletari ostendis, ut contrarium magis his reperiri nihil possit. Deinde & refutationem argumentorum meorum ita peragis, ut omnia arrodens ac dentibus appetens, nonnulla calumniando pervertens, quædam transiens, nihil solvens, passim ut mus in pice hærens, haud quicquam solidi contra te habere, solaque pertinacia motum (quo constans apud tuos videare) obstrepere tantum, atque à sententia non recedere, cunctis lectoribus clarum facias. Quæ cum ita habere viderem, initiò omnium etiam responsione ulteriore supersedendum mihi

mihi putavi. Videbaris enim & animi tui reliquum morbum satis aperuisse, & inopiam quoq; argumentorum malamque in causa conscientiam tam manifestó prodidisse cunctis iis, qui in legendo aliquid modó naris habent, ut nullo alterius stilo evidentius id fieri posse arbitrarer. Verúm cum monerent amici, fore ut majorem hinc sapientiæ propriæ opinionem colligeres, cristasque erigeres altius; imperitioribus etiam, haud dubié vicisse te, persuaderes, si nihil omnino responderetur: deinde cum & ipse quoque hoc expenderem, quoniam tu tantúm bili tuæ indulgisses in calumnia non expressi nominis mei, verendum esse mihi, ne agnoscere *λοιδοείας* tuas aut cognitionem legitimam detrectare viderer, nisi ingenué & aperté tibi obviam irem: sententiam mutavi. Respondebo igitur tibi primum de omisso nomine meo breviter, tuasque, quas hanc ob causam in me jecisti calumnias abstergam. Postea refutationes, quibus rejicere argumenta mea præcipua conatus es, quanta potero perspicuitate, & sine amarulentia, vanitatis coarguam.

Nec vero expectare debes, ad prius illud caput quod attinet, quanquam irritatus justé forsán id facere posse videar, tamen tui me similem futurum, id est, convitia convitiis esse re-



pressurum. Magis enim mihi, quid me deceat, quam quid tu merearis, attendendum: sed hæc à me opera dabitur, ut calumniis amotis: ac re aperta citra maledicentiam, tuæ te turpitudinis hujus tuorumque vitiorum, si modò quid frontis bonæ in te superest, tandem aliquando pudeat, omnibusq; bonis appareat cum dedecore tuo, à me annis tibi multum impare, nullo initiato doctrinæ titulo aut sacro ordini, lacessitoque, te grandiore ætate, Theologum, Doctorem, convitio nullo provocatum, temperamento linguæ esse superatum.

Quid igitur mihi objectat potissimum magnus hic Doctor Hofmannus, quòd pro scelere imputat, quòd tot convitiis profequitur? mirum quòd nomen meum Antithesibus non præfixerim, sed amantem veritatis me appellaverim. Itane vero tantū tibi hoc facinus ac flagitium est visum, dignumq; flagellatione tuam iniqua & acerba? hoc, inquā, quod modestiæ causa factum esse à me, & in laude, non in vitio ponendum interpretari poteras, & si bonus esses, etiam debebas. An ignorabas, id mihi commune esse cum multis viris summis, qui omni tua reprehensione majores sunt? Lutherum etiam ipsum hoc aliquando factitasse? commississe quoque Apostolum in Epistola ad Hebræos, Matthæum & Marcum in Evangeliiis, prophetam Hieremiam in historia Regum, ut plures non enumerem?

Cur etiam non hos pro zelo aut pietate tua tenebriones, agyrtas, flagriones, vespertilio-

nes,

nes, bono & honesto nomine carentes, semet suo nomine exuentes, circumforaneos, veneficos, cruce dignos, *δυσωνύμους*, infames, sceleratos, Satanas, diabolos, aliisq; his similibus emblematis appellas? Cur non in hos maledicentiam exerces tuam? Aut, cur non in illos, qui ut temporibus seruiant, nomina quoque in scriptis commutant sua? Quod sané tibi ad calumniam multo posset esse proclivius.

Sed excipies, opinor, & ad distinctionum tuarum, quibus mirificé ad subtilitatem vales, præsidium convolabis, atque ut aliud non invenias, neminem eorum in Frisia esse natum, neminem contra Helmstadianum Doctorem scripsisse causaberis. Ego veró jure ac meritó agnosco, magnum inter me & illos omnes esse intervallum: sed in prætermittendo nomine in eadem cum illis causa esse me, idemq; bonum malumve nomen inde habiturum, contendó: Et, si nil aliud, quod te angeret, quod objectare mihi posses, cóntra me habebas, insectandi quoq; causam contra me nullam justam te habuisse, imó improbum esse, qui eo modo in innocétem probrosis dictis desævieris omnéque tuam bilem effuderis, omni ratione affirmo.

Sed, scio satis, aliud fuit Hofmanne, quod te malé ussit, quodq; summo pro scelere duxisti. Verúm id quoniam parum tibi honestum videbatur, si profiterere, hoc prætermitti nominis crimen pro eo supponere maluisti. Scilicet malé habebat sublimem animum tuum, cun-



ctosq; ex alto despiciētem, tam summos quā  
 imos, & placita ac decreta inter tuos velut *ἰου-  
 ρόπισον*, & regio more in regno dictantem, pro-  
 que oraculis venditantem infallibilibus, nunc  
 veró etiam in disputatione Sacramētaria cun-  
 ctis prostratis æmulis triumphare se glorian-  
 tem, atque hoc simplicibus omnibus persua-  
 dere conantem: intervenire quenquam, ho-  
 minem præsertim obscurum, nulla infula, nul-  
 la laurea insignitum, in pulvere scholastico he-  
 rentem, qui tibi triumphum canenti obstre-  
 pere, & de conclusionibus tuis acerrimé de-  
 fensis, denuó litem movere, id est, authorita-  
 tem, quam jam invaferas, inter tuos etiam, ne-  
 dum apud cæteros convellere auderet.

Hoc tibi piaculum illud erat, cor tuum lan-  
 cinans: quod cum concoquere non posses,  
 perinde ac si majestas principis supremi in re-  
 gno scholastico violata esset, ita mente turba-  
 tus tota, in furorem exarsisti. Numquid non  
 verum conjecto? Eo porró furore incensus, ut  
 te de tanta injuria ulciscereris, destitutus argu-  
 mentis & rationibus, cūm gladios capere non  
 posses, convitiis te armasti, ut isto me genere  
 telorum totum obrueres. Sed quæso te, Hof-  
 manne, audi me pauca, ad hanc quoque de-  
 precandam culpam, pro me modeste dicen-  
 tem; atque accipe, quæ me causa ad scriben-  
 das antitheses tam longe à te positum com-  
 moverit.

Cum

Cum tuæ theses primùm editæ, ac disputatæ istic essent, huc perlatae statim sunt tuo missu, & per affinem tuum Godfridum Til. Fil. tum regnū hīc molientem passim ostentatæ, venditatæ, pro eximiis, qualesque hæcenus visæ non essent, quibus nemo contradicere pōset; postremo idoneum, ad votum tuum, præconem earum hīc repereras. Nobis, qui id audire identidem cogebamur, quāquam inanem esse istam jactantiam non ignorabamus: tamen quod publico docendi munere tum careremus, & vanam in colloquio cum affine illo tuo operam, hac de re ob hominis imperitiam atque impudentiam esse exemplo didicissemus; quid contra faciendum esset, non apparebat.

Nec multo post, altera quoque disputatione absoluta, evulgataque, pluribus exemplaribus disseminatis ad attonitos nostros homines reddendos, sapientia autoris, mihi quoque ab egregiæ indolis & doctrinæ juvene, meo quondam discipulo, qui a te ipso acceperat, nescio an ex voluntate tua, exemplar donatum fuit.

Tum diligentius omnibus perlectis, cum viderem ipsum quoque te idem de te ac disputatione tua sentire, quod jactabat inscitus ille affinis tuus, nempe flatu tuo omnes te adversariorum cohortes stravisse, ut nemo pedem figere contra te in posterum posset, id est, de oppressa veritate triumphum te canere, (sed sanè

ante victoriam) cœpi manum calamo adhibere, nonnullaque in chartam conijcere. <sup>Deinde,</sup> quibus vanitatem illam vanissimam, firmissimas ob rationes nihil apud nos, qui melius edocti essemus, momenti habere, nec vel tantillum nos à veritate semel agnita posse dimovere ostenderem: Sed id non alio quidem consilio, quàm ut per eundem illum discipulum quondam meum istuc rediturum privatim ad te mitterem, frustra que te eo modo nos terrene, ac triumphum canere tibi commostrarem.

Sed cùm id quod scripseram, aliis forte legendum cõmississem, ne quid temerè scriptum ad tantum doctorem darem; illi, consilio illo meo improbato, autores fuerunt, ut, quò plures monerentur, typis id ipsum qualecunque, sed paulo auctius factum commendarem, atq; ita ad te quoque venire sinerem. In quo cùm monentibus obsequerer; nomen tamè meum quò venandæ gloriæ suspicionem à me averterem, quod in manuscripto addere statueram, ut præfigerem persuaderi ab iisdem tum non potui.

Habes, Hofmanne, præter nominis præteriti honestissimam rationē, etiam causam scriptionis à tuis mihi ob importunas insultationes propè extortæ. In qua si calumniari quicquam potes, age verò id ipsum melioribus rationibus, quàm hactenus à te factum est, expeditor. Sed pauca de me, & de rebus meis hoc loco quoque adjicienda; ut si quid in te oris superest, quam ex maledicendo voluptatem cepisti,

pisti, eam temeritatis & calumniarum convictus, expudore rursus amittas.

Ego in Frisia, Frisius plebejo quidem, sed honesto loco natus, patre Emmone verbi divini apud Grethanos, in pago nimirum natali, triginta per annos ministro fideli, ac suis omnibus charo, quiq;e, quamdiu per ætatem licuerat, complures per annos Lutherum & Melanthonem Vitebergæ docentes audierat, eorumque perpetuus admirator, quoad vixit, esse non destitit. Vbi primum in literis tyrocini-um in patria ac Bremæ posui, deinde ex voluntate parentum Rostochium ad capiendas disciplinas, imprimisque ad audiendum clarissimum virum D. Davidem Chytræum, quem honoris causa nomino, quemq; præceptorem veneror & colo, imò amicum etiam nunc habeo, profectus anno 1570, deinde triennio & amplius illic exacto, ac certaminibus Ecclesiæ veteris (ex prælectionib. Dn. Chytræi in Chronico Ph. Melanthonis) cognitis, studioque legendi patrum scripta inde hausto, in patriam discessi; ex patria rursus post annum Genève, ut Dn. Bezam quoque, & alios ejus loci viros doctrina & pietate celebres cognoscerem, institutaq; Ecclesiæ & Reip. ejus præclarissima præsens inspicerem ac discerem, ivi, perstiti-que ibidem, quoad licuit, in studiis pietatis me exercens. Post Basileæ moratus aliquandiu, ad meos tandem secundò redii.

Hic verò, quod animum tuum lividum fortassis uret, gloriari verè licet, ita me utroque in  
loco



loco Rostochii & Genevæ vixisse, ut non magnum, quod tu quacunq; ratione petisti, sed honestum nomen inter optimos quosque juvenes, & doctissimos, qui illic tum erant, facile invenerim: iisque tum nobilibus, tum plebejis ob studia & integritatem non notus solum, sed charus quoque & familiaris essem. Citare possem complures Gallos, Anglos, Italos, Scotos, Danos, Suecos, Polonos, Germanos, Belgas, inprimis ipsos tuos Saxonas, utroque in ordine viros honoratos, quibus cum conjunctè in studiis vixi; si necesse foret.

Tibi verò, ô Halo, hoc defero, si velut num ex tanto numero eorum, qui meum nomen noverunt, in medium producere possis, qui diversum testari velit, aut bona conscientia id facere queat, qui tuis convitiis dignum me putet, imò te non calumniari innocentem dicat, non detrectabo id audire, quod tu in me dicis. Vide quid tibi largiar? quo te adigam? præsertim cum non pauci ex eo numero sint, qui tuam etiam confessionem sequuntur, & tibi sanè si rectè, & salva conscientia liceat, gratificari plus eam ob causam, quàm mihi, volent. Omnes inquam tibi defero, quorum si nullus pro te dicere in animum suum inducere possit, iterum vide Hofmanne, quod hominum judicium ex eo te secuturum sit, nempe aut calumniatum esse te, dum mihi maledicis, & calumniæ pœnam legibus

gibus debere : atque ob maledicentiam in Theologis non numerandum esse ; aut certe tanto te odio etiam tuis ob arrogantiam esse, ut in tui gratiam ne verum quidem prodere ex tuis quisquam velit. Quinimó & ipsum appello D. Chytræum, cujus tu consensum jactas, & cæteros Rostochii Theologos. Atque hanc ob causam potissimum huic responsioni nomen in fronte addo meum, ut tibi hujusce rei experimentum sit liberum.

Ad propiora veniam.

In Frisiam secundó reversus, mox expectatus magno consensu, & velut communi voto patriæ vocatus, quanquam nonnulli alió traherent, Scholam literariam apud Nordanos regendam suscepi. Quod munus magis sané laboriosum mihi, quam fructuosum, interea dum tu stipendiis optimis luxurians in Cathedra Helmstadiensi regnum tenes, teque magnificé apud auditores jactas, in gratiam patriæ ( absit dicto invidia ) octo per annos ea fide & industria ( de profectu alii testentur ) sustinui, ut is, quem anté nominavi, affinis tuus Godfridus Heshusius Til. Fil. hand merito sané, Magistrali laurea, misellus, velut bos ephippio á vobis oneratus, cum omnia hîc sursum deorsum vertere, & bene posita temeré, pro inciscitia sua turbare niteretur, me ejecto, non solum gratiã apud nostrates inierit, non solum



eos, quos tu Cinglianos vocas, sed ipsos etiam, qui Ecclesiam eo loco tenebant, Lutheranos. Ad quorum testimonium, quotquot adhuc eorum supersunt, adeoque omnium illorum, qui in patria mea viri boni sunt, cujuscunque ordinis, provoco. Qui si omnes majus momentum habent, quam tu; si illi me virum bonum esse, honesteque vitam agere testantur, quem tu ceu probrosum, infamem, sycophantam publico scripto traducis: si illi de noto hæc viro dicunt & affirmant, tu autem, quem non nosti, convitiis tamen insectaris; an non, quid dete rursus omnes recte sentientes judicaturi sint, ipse intelligis?

Miserum nempe te & infelicem, qui adeo affectibus & vitiis pares tuis, ut in eum, qui solum in doctrina tibi contradicere, & captatam inde gloriolam interpellare ausus fuit, nec ultus aut in te aut in quenquam alium commissi criminis reus est, etiam tres post annos nondum animi tumultu composito debaccheris: nequequam tamen aliud intemperie ista tua consequare, quam ut dedecus ipse tibi contrahas, iisque probris dignus videare, omnium bonorum judicio, quibus tu innocentis famam, quantum in te fuit, proscidisti. Quod si temeritate excusabis; sanè magnus Theologus, egregius Christi discipulus, qui vel primas in Ecclesia feras, videberis. Sed recipio me, tuamque istam famam, quam hinc feres, non invideo. Istud verò repeto, ita me vitam & mores instituisse apud Nordanos, ut cum ipsis Ecclesie ministris plerisque

plerisque viris piis & doctis, etiam in dissensionem hac infausta de Cæna Domini, ac collatione sententiarum libera, nunquam interrupta mihi constiterit amicitia. Nec sanè alium Dn. Joannis Ligarii viri præclarè eruditi, qui ante affinem tuum Ecclesiæ aulicæ præerat, quoad is in patria fuit, in me animum deprehendere licuit. Cum primariis etiam in ea, quæ Nordæ erat, Ecclesia Lutherana viris conjunctissimè semper vixi. Sed cum nemine in tota ea parte conjunctius, quàm cum domino Martino Fabrico Pastore Hagano, ante biennium mortuo, insigni Theologo, & tibi quoque haud dubie ob celebrem pietatè & doctrinam, magnumq; rerum usum, ex fama non ignoto, dominiq; Lutheri & Melanthonis quondam amico non postremo: qui cum candorem & integritatem in me comperisset, me propè ut filium complexus est, à me vicissim loco patris dilectus, dissimilimus ab ingeniis vestris Theologus. Nam & colloquiis & epistolis missitatis sæpe mecum hac de parte doctrinæ contulit, ac *synthetice* instituit, attulit in mediū, quæ in promptu habuit, argumenta pro sententia sua, & me vicissim benignè audit; & quāquam sua in sententia senex optimus, in qua adoleverat, Lutheri autoritate maximè motus perstaret, & ab affine illo tuo classicum discordiæ canente sæpe moneretur; tamen tantum abfuit, ut vestro more in dissentientem ira se incitaret, aut ab amicitia vel minimum recederet, ut etiam in dies mihi fieret amicior, fremente nequie-

quam eodē illo, quem dixi, Heshusio tuo. Quin imó, cum insidiari & periculum mihi creare Heshusium sentiret, perspecta jamdudum ex colloquiis ac collationib. fidei mei plerophoria, ad quam evertendam sibi nō suppetere argumenta compererat: tum ad mutuum & constantem amorē cohortatus pro fratre in Christo se habere me testatus est, tum ultró me gratiã, aut ob ulla pericula externa, adversante conscientiane recederem.

Quæ recito, ecce coram Deo non mentior, habeoq; horum testes, partim etiam nunc superstites, viros honestos, partim ipsius Martini datas ad me complures Epistolas. Quid veró ad hæc tu, Hofmãne? quid dicēs, qui dissentientibus á te adeó irascēris? Idem forte, quod tuus ille præclarus affinis, nimis nimirum facilem & lenem fuisse Martinum, vos zelotas esse. Fruamini sane zelo vestro, & eum affectib. vestris prætexite; dummodo conscientias nostris non præscribatis, & album, album, nigrum, nigrum nos vocare patiamini.

Restat unum adhuc, quod ad hanc rem facit, dicendum. Tuus ille quem sæpe nomino affinis, qui me cane pejus & angue oderat, meque omnino exturbatū officio cupiebat, propterea quod stultitiã ipsius appellare sapientiã, dictata ejusdem pro oraculis accipere nō possem, quã sedulo in me, quamq; gnaviter inquisivit, ut aliquam causam præter confessionem, qua uti contra me posset, inveniret! Sed Deo



Deo sit gratia, quod inimici os confiteri coactum fuit, si religio abesset, nihil se, quod culpare in me posset, esse habiturum. Audeat vero ipse vel jam negare: ut ex ore multorum mendacium redargui mereatur. Igitur cum reliqua hominem deficeret, sola de doctrina confessione arrepta, quam sciret ejus libertatem ex pacto peculiari mihi deberi: tamen id operam dedit, ut hujus gratia, omnibus invitis Nordanis, munere meo egeret. Nec sane ante destitit, quam per suas principibus tandem quod cupierat, effectum dedisset. Sed maturius omnino, quam vellet, homo invidus alio loco me restitutum vidit. Causam odii tanti misellus, magistrali tamen apertum, ex colloquio quodam mecum instituto hac de controversia una cum Parastata fidei Joh. Pratense, ex quo preter expectationem pisce magis mutus discessit, precipue hauserat. Quo de colloquio si cognoscere vis, Hofmiane, & quid ex eo secutum, affinem ipsum tuum percontabere. Nobis forsitan etiam quaedam alio loco de eo dicentur.

Hactenus de me, & de tua convitiandi libidine; qua ita liberè & effusè usus es, ut ea potissimum laude infulam tuam Theologicam decorare, ac praeter ceteris zelum tuum commendare voluisse videaris. De quibus necesse mihi fuit prolixius agere, ut praeter animi tui ambitionem pravitateque detectam, etiam id argumentum, quo maxime in omni disputatione tua niti deprehenderis, velut fundamentum victoriae in aditum tibi subtraherem, & qua fide in tota causa ageres, vel hinc suspicandum lectori relinquerem.

Ex ungue enim leonem, ut in proverbio est. Etenim quis confidere audeat, bona conscientia in cæteris te versari, qui hac in parte inveniariis tam manifestè esse calumniatus? quis in disputando Theologum te habeat gravem & modestum, qui debacchando in caput meum nullam justam ob causam cujusvis mulierculæ impotentiam superasse, ac sine veri falsiq; discrimine tam multa convicia effudisse videaris? nisi forte id apici tuo licere, aut quod falsum est, te verum esse dicente, ob eã, quã cum Doctoris titulo nactus es autoritatẽ, etiã verum fieri, & pro vero esse adorandũ, arbitraris.

Nunc ad ipsam rem venio, id est, ad rationes tuas sophisticas, quibus rejicere argumenta mea conatus es. Quarum primæ ad titulum antitheseon mearum & præfationem pertinent, quæ pauca & breves sunt: alteræ posteriori antitheseon parti prolixè respondent: tertiæ argumento meo ab analogia fidei & primo loco, & potissimùm à me explicato, opponuntur. Quibus iisdem vestigijs ego quoq; te sequi initiõ in animo habebam. Verum scriptione suscepta, peneq; ad finẽ jam perducta, cum prolixius id fore viderẽ, si ordine omnia tua, quantum res exigit, persequerer, unoque syngrammate simul ea comprehenderẽ, consilium illud mutavi: arbitratusq; sum, haud male me facturum, si dilatis aliud in tempus cæteris, quib. tergiversationum tuarum posterioribus nostris oppositarum inanitatem & ineptias aperui, peculiariq; libello sepositis, nunc iis potissi-

potissimum, quæ ad priora mea à te loco ultimo in medium allata sunt, quòd his caput causæ maximè contineatur; occurrerem. Sed ne quo modo interea declinare ea, quæ tu à me requiris in inveciva tua, quæq; ad causæ cognitionem justam non parum pertinent, fugamq; moliri videar, nonnulla quoq; è reliquis, quæ ejus generis sunt, huc adjicienda putavi: veritus scilicet, si aliter facerem, facilè te hanc ob causam contra me calumniandi rationem esse habiturum. Primum igitur in hoc libello de methodo nostra, qua in hac explicanda quæstione utimur, quædam dicam, & hanc cum tua conferam: Deinde cætera argumenta nobis usitata breviter & perspicuè ob oculos tibi ponam: Postremò, id quod à fidei analogia ducitur, in antithesib. præcipuè tibi objectum ingestumque, refutatis aversisq; sophismatis & præstigiis tuis, quib. eludere vim ejus conatus es, môstrato quoq; Ecclesiæ veteris in hac parte cõsensu, tuebor. Quæ quò rectius nobis singula procedât, nullū me opèræ pretiū majus facere posse existimo, quàm si initió atq; ante omnia verum cõtroversia ejus, quæ vobiscum nobis est, statum aperuero, ac remotis nebulis velut clara in luce ante oculos posuero. Etenim ita res habet, ut cū nullæ omnino causæ, quæ quæstionē aliquā habent, tum minimè omniū hæc ipsa nostra sine eo rectè disputari aut definiti possit: propterea quòd non conclusio solum extrema, sed potissimorū quoq; argumentorū dijudicatio hinc vel maximè dependeat. Quod

*De statu  
controversia.*



Satus com-  
mentarius.

cum vestri, qui p̄spicaciores fuerūt, satis intel-  
ligerēt, Hofmanne, atq; ita causæ suæ á veri sta-  
tus cognitione nō abs re metuerēt; id operam  
dederunt seduló, ut nebulas circū hunc funde-  
rēt variis modis, quo cōspici ab imperitis, atq;  
ad cognoscendā causam accedentib. haud pos-  
set. Ex hoc fonte proveniūt ea, quæ in cōcioni-  
bus & scriptis jaētatis, de fide Christi, de veri-  
tate testamēti ejus, de potētia ac majestate po-  
tissimū ambigi: Ea nos aut negare, aut in dubiū  
trahere: vos cōtrā asserere, ac sumō studio pro  
honore Christi decertare: deinde, iis vanissimis  
mēdaciis detectis, & omissis, magis verba alia,  
quā aliæ res, disputari, nimirū an verū id sit, q̄ á  
Christo dictū est in institutione Cœnæ, *Hoc, id  
est, hic panis, est corpus meum, Hoc vinum est san-  
guis meus:* nos tergiversari, nec nisi per inanē ac  
fallacē figurā veritatē ejus ad speciem admittere  
(qua in calumnia tu quoq; Hofmanne hæres)  
vos simpliciter verbis Christi credere: aut, an  
res signatæ cum symbolis sacris in Sacramento  
secūdam promissionē institutoris verè adsint,  
& dentur utentib. an vacua reb. signa tantū  
sint, & in usu tradantur: illud vos, hoc nos di-  
cere: Et quod his in progressu disputationis at-  
textitur, ac velut alter status á vobis cōfingitur,  
An Christus, qui Deus omnipotēs est, possit et-  
jam effectū dare, ad præstandā promissionē, de  
qua verba Cœnæ loquūtur, ut corpus suū, quod  
verè hominis corpus est, in cælo & terra, ac  
multis in locis simul in usu Sacramenti verè  
præsens sit; quod vos rursū affirmetis simplici-  
ter, nos in cōtumeliā nominis Christi, abroga-

ta ei omnipotētia, atq; intra terminos angustæ  
 rations nostræ coarctata, cōfidenter negemus.  
 Falsissima omnia, ad opprimēdā veritatem ac  
 q̄stionē obscurandā improbē a vobis conficta.  
 Quorū cū plerosq; vestrū etiā nūc post tot cō-  
 testationes cōtrarias nō pudeat: quę in iis con-  
 sciētia sit, quōve spiritu agātur, nō est obscurū.  
 Tu verō, Hofmāne, hac in re qd? Equidē si scri-  
 pta tua ac disputationes rectē intelligo, ita te  
 explicas, ut appareat nihil te malle, quān hoc  
 modo statū cōtroversię supremū nobis forma-  
 re: *An panis in cōna sit corpus Christi, an vinū sanguis*  
*ejus.* Hac enim p̄sepe respicis, ut cū de certitu-  
 dine promissionū divinarum, de veritate testa-  
 mēti ac verbi Christi servatoris nostri, de potē-  
 tia ejus, p̄stare facilē valēte q̄ promisit, & captū  
 nostrū iuperāte, deniq; de fallacib. figuris con-  
 cionaris: cū scribis disputatione tua 1. quēstio-  
 nē summā inter Lutherū & Cinglium fuisse, an  
 sit, nimirum panis, corpus Christi; q̄ affirmavit  
 Lutherus, negavit Cinglius, Thesi 10. & 11: cū  
 Lutherani illius libri titulū jactas, Quod verba  
 Christi, Hoc est corpus meum, adhuc immota  
 stēt, nimirū cōtra eos, q̄ a Luthero & te disēti-  
 unt, ac libri scopū ac cōclusionē placere mirifi-  
 ce tibi, profiteris: cū verba Christi nō mutāda  
 esse quę tradūt, qd sit, nec aliunde sensū iis im-  
 portādū thesi 57. scribis: cū Christū mētiri non  
 posse, atq; ideo in dictis ejus p̄sistēdū tū aliis, tū  
 hisce, Hoc est corpus meū, q̄ pro vobis tradi-  
 tur, Hoc est sanguis meus, qui pro multis effū-  
 ditur, nobis occinis, disp. 2. thesi 22. Atque ita  
 rursū res eadē, verba diversa.

Sed quoniam inficiatione nostra, quã sæpe tibi ingerimus, inde quoq; depelleris, hanc tandem quæstionẽ primariã ac controversiã edis, an corpus & sanguis Christi realiter (id est, ut ipse interpretaris, re ipsa, secundum substantiã suã, essentialiter ac corporaliter) adsint cū pane & vino in mēsa Domini: cujus affirmatiuam vos, nos negativã teneamus: Et quoniã affirmativa cum literalĩ sensu verborũ Domini cohareat necessariõ, cum quoq; vos retinere, nos ad figurã aut tropum sacramentalẽ deslectere.

*Satis contro-  
uersa verba.*

Ego verõ, Hofmanne, ut tibi libens cõcedo hanc inter nos in re diffensionem esse longẽ maximã, quam de corporali corporis præsentia per plurima simul loca memoras, ita eandem hanc aut ordine quærendi primã fuisse, aut si hoc maximẽ tibi detur, ejusmodi tamen esse, quẽ sine quæstione altera nõ minore quã statim ipsa secum trahit, *χριστόμαζον* à Græcis vocatam, à cujus definitione litis præcipuæ eventus pendet, *καὶ πῦρ* nimirum *καὶ διαβολὴ* verborum Domini, expediri possit id vehementer pernego. Quod ut omnibus palãm fiat, agerem paulo pressius consideremus.

Ecclesia vetus usq; ad tenebras Papatus Rom. ut ab Apostolis acceperat, ita per multa sæcula hãc de mysterio Cæne & reliquis Sacramentis doctrinẽ partẽ eo modo cõservavit, & explicuit, ut inter tot doctores ejus & scriptores, quos ipsa pro suis agnovit, nulla omnino hac de re cõtroversia, aut animorũ dissẽsio, dissẽsionisve suspicio unquã extiterit. Nec quẽquã omnino  
puti-



putidius est, quàm quòd bonus ille affinis tuus Heshusius junior, homo non illepidus, sed sibi multam sapientiã tribuens, cùm plurima meditatus per aliquot dies, beneq; instructus ad me venisset, ac de negotio hoc mecum collocutus, allegatis primùm patribus magno supercilio, cùm me vicissim contraria commonstrantem audisset, dicere vehementerq; contendere ausus fuit, patres tum inter se, tum à se quoq; ipsis plurimum in hac quæstione dissidere, nec certi quicquam, quod tenerent, habuisse. Bellus sane Theologus, & idoneus, cui Ecclesiarum reformatio & custodia doctrinæ committatur. Qui cum à me ad codices nonnullos patrum ductus esset, Cyrilli imprimis & Augustini, visus mihi est nunquam volumen unum vel oculis perlustrasse, nedum perlegisse.

Patres quidem, quod misello illi nunquam in mentem venerat, locutionibus usi sunt interdum propriis, interdum figuratis & sacramentalibus, multa sanè varietate, omnes tamen semet mutuò intelligebant, quòd eadem ubiq; & apud omnes Orthodoxos sententia vigeat. Sic factum est, ut nemo alterum reprehenderet, Augustinus quoq; in retractationibus suis nihil eorum quæ prius figuratè aut propriè scripserat, emendarit. Contra quæ, ecquid habes, quod dicas, Hofmanne? Si nihil habes, age hoc nobis in causa certum maneat. Deinde cum tenebræ pedetentim ingruerent, & cresceret superstitio; è Patrum diversis

*De patrum  
phrasibus sa-  
cramentali-  
bus.*

locutionibus opiniones in animis hominum  
 diversæ suboriri, ex opinionibus porro dissen-  
 siones existere paulatim, sed citra vehemen-  
 tiam ac damnandi libidinem, cœperunt. Alii  
 enim ita patrum dicta quædam intelligebant,  
 ut eos verba Christi ad literam accepisse, atque  
 ita realem illam corporis præsentiam cum pa-  
 ne posuisse putarent; alii, atque ii longè re-  
 ctius, figurata figuratè, propria propriè acci-  
 pientes, in contraria sententia erant: donec  
 tandem meliore parte oppressa, aut in arcum  
 redacta, pars altera in companatores aut impa-  
 natores, ac transubstantiatores discessit. Serius  
 omnino hæc, cum jã densissimæ tenebræ reli-  
 gionè sub Antichristo Romano opprimerent.  
 Postremo transubstantiatio penè sola ex jussu  
 Pontificis locū tenuit per annos plus 400, &  
 impanatio, ut Guitamundus eã vocat, delituit;  
 memoria tamè ejus, sed obscurius, refricata in-  
 terdū à Scholasticis, inter quos primū locū re-  
 net Petrus de Aliaco Cameracensis Cardinalis.

Ex his tenebris cum emergeret primū  
 Lutherus, oculosq; attollere inciperet, incer-  
 tus & dubius, animo adhuc superstitione oc-  
 cupato, inter transubstantiationem & impa-  
 nationem aliquandju fluctuavit, ut è primis  
 ejus scriptis apparet. Deinde velut lucis ali-  
 quid prospiciens, paulatim etiam commodius  
 sensisse & locutus esse videri potest, ut in ser-  
 mone de fraternitate & de abrogatione Missæ  
 privatæ, in Joh. cap. 6. & alibi. Sed ubi post cum  
 Carolstadio superstitionis inimicissimo, ac ut  
 ipse

ipse Lutherus iudicabat, præproperè ac temerariè nonnulla agente, dissensio ei orta, atque hinc contentio: eaq; ad Helvetios, ad quos Carolstadius se contulerat, propagata esset; cœprum est acerrimum bellum sacramentarium, cum vehementius se Lutherus in Helvetios, aliter atq; ipse verba Christi, amotis superstitionibus, interpretantes, discordiæ genio classicum canente, incitavisset. Quod bellum acerrimè aliquandiu gestum, deinde induciis Marpurgensibus interceptū, rursūq; non multo post renatum, mox denuò Witebergæ compositum, postremo virulentius paulo ante Lutheri mortem, edita confessione illa aculeata quæ parva nuncupatur, instauratum; deinde lenitum quidem iterum, sed per Brentium, Westphalum, Flaciū, aliosq; mox asperatū vestrisq; incendiariis concionib<sup>9</sup>, quibus lites hæ lucro & honori sunt, ad nos usq; prorogatum est.

Hic ego ex te jam audire cupio Hofmanne, quā tu litis hujus originem, quā materiam dissentientib. partib. fuisse, quā etiam nobis nunc esse dicas? An nō verba Domini in institutione Cœnæ aliter atq; aliter intellecta? Quod si tu dixeris, præsentiam realem corporis Christi in sacramento creditam à Luthero, non creditam à nostris; rursū te percontabor undenam diversæ illæ sententiæ in animis eorū extiterint, quid quæso respōdebis? Sanè si quid ego intelligere possum, eodē redire vel invitus, i. e. verba Domini in sacro codice occurrentia ab illo literaliter, ab his *χρῆσις διὰ λόγου* accepta, causam



profiteri cogéris. Et si tu in his tergiverſabere, lectores appellabo, qui inter nos judicent.

*Repetitio ve-  
ri status.*

*postquam dicitur*

*NOVA*

Deinde, ne quem fucum facere calumniis, neu quid simulare, aut prætexere possis; quantum ad me attinet, solenniter hoc loco coram omnibus, qui hæc legent, ac coram Deo contestor, non me tecum de veritate verborum Domini, litem habere; quis enim eam unquam in dubium, nisi profus à Christo alienus, vocaverit? sed solum de vero horum intellectu cum eodem te contendere. Non (inquam) utrum panis ille in sacramento sit corpus Christi, & quidem corpus verum ac naturale, quod pro nobis crucifixum est (id enim os veritatis dixit, quod mentiri aut fallere nequit) tecum me ambigere, sed quomodo sit, contra te disputare.

Tu Christi verba propriè, *ἡ ἄρτος ἐστὶν σῶμα* cum Luthero accipis, omni tropo excluso, atq; eam ob rem mirificè tumultuaris, multumq; pulveris excitas. Ego tropum non abesse, qualis sacramentis proprius est, dico, quem sacramentalem metonymiam appello. Quod cum dico, non obscurum Christi sermonem, aut fallacem, ut vestra calumnia habet, sed ad subjectam materiam maxime evidentem, ac velut proprium & illustrem dico, paucisque multa significantem.

Similiter, tu panem ita propriè corpus Christi esse asseris, ut pani corporaliter conjunctum sit corpus secundum locum, essentialiterq; in eo sit præsens ac unum cum eo complexum

plexum *ἁπλοῦς*, efficiat, substantia substantiæ sine intervallo cohæreat; corpus verò illud in pane sit invisibile, incontractabile, sine partibus.

Ego contrâ, panem esse ajo corpus Christi eo modo, quo agnus erat phæse, vel transitus, & circumcisio erat fœdus, baptismus stipulatio bonæ conscientiæ, aut sepultura nostra cum Christo: quo petra erat Christus: id est, non *ἡ σῶσιν*, ἀλλὰ *ἡ ἁπλοῦς μυστικῶς*; atq; ideo sacramentalem propositionem rectè ita resolvi, Panis ille est sacramentum corporis Christi, aut symbolum signumve sacramentale corporis Christi, vel sacramentaliter corpus id significat.

Horum verò talis sensus est, qui non vacua rebus signa nobis ponat, ut vos calumniâmini, & cœnam ejusmodi convivio profano omnino exæquatis. Unio enim est, inter signa & signata, non essentialis illa quidem, ac *ἁπλοῦς ἁπλοῦς*, secundum locum conjungens; arctâ tamen & divina, quam *ἁπλοῦς* & sacramentalem nuncupamus; instituta divinitus, qua fit, ut in verouso, qui panem illum à Ministro é mensa Domini accipit, manu & ore externo, is ipsum quoque naturale corpus Christi, quod in cœlo realiter finitum, & circumscriptum, ac sensibile est, manu atque ore fidelis animæ, quæ fides est, verè accipiat in pastum vitæ æternæ. Atq; hac ex unionè illæ, quas passim legimus tum in sacris literis, tū in sanctis Patribus, locutiones sacramentales existunt. Et quod de pane di-

*Hac via nisi ingressi essent nobiscū Hefusius & Hofmannus in exponendu dicitur de Christo homine, ut impleter omnia, item, omnia subiecti pedib' eius, expedire se tricus Ubi-quitariorum Chemnitzii, Selnecceri, Karchmeri, in colloquio Qua delburgensi nō potuissent. Nā vera quidem ea haud dubie esse, sed non simpliciter secundum literam accipi, quinimo pro phrasibus scripturæ haberi oportere ostenderunt. Quod igitur illic fecere ipsi, id hic in nobis culpant, atq; ita quid conscientia habeant produnt.*

ctum, id de calice eodem quoq; modo intelligendum.

Hæc controversia nostra est, quæ nos disjungit, quam reliquæ nonnullæ velut comites sequuntur: hic est verus confligentium causarum status; quæ quò magis conspicuus sit, atq; animo obversetur, denuò repetitū atq; ingestū tibi, velut illustri in loco ad memoriã collocabo. Nō quæritur, inquam, inter nos, An panis sit corpus Domini, quod pro mundi vita datū (blasphemus enim qui negat, quod divina habet autoritas) Sed quomodo idem sit aut intelligi debeat corpus ejus: i. e. cū falsa esse non possint verba veritatis in testamento scripta; ambigitur inter nos, quæ sit eorum verborum vera sententia. Tu proprietati ac literæ inhæres: ego sacramentalem *μετωυμια*, non aliunde adscitã, sed ab ipsa natura rerum quæ aguntur, porrectam, ac in manus traditam, omnib; nimirum Sacramentis familiarem atq; tritam, interpretando adhibeo. Quàm bene, aut male utrumq; paulo pòst videbitur.

Hoc verò jam te interrogo Hofmanne, cū res ita habeat, ut exposita est; cujus tu conscientia esse putes (infortia enim te facile absolvo) quæstionem ipsam controversam, de qua inter nos acerrimè contenditur, perinde ac si nihil controversiæ amplius jam habeat, pro argumento præcipuo assumere, atque imprudenti lectori obtrudere, quo nihil tibi est in hac contentione familiaris. Sed frustra fortasse hæc tibi, quem pertinacia perversum agit;



agit; ut nolle cedere, quæcunq; etiam veritatis affulgeat evidentia, jamdudum constitutum habere videaris. Itaque, quod solum possum, lectorem moneo, ut hoc notet: & si id, quod hic à me dicitur, verum deprehendit, quid de disputatore ejusmodi statuendum sit, secum æstimet.

De statu hætenus: De methodo inquirendi ac probandi pauca adjiciam. Tu præsumpta opinione occupatus, literam omnino urges, in ea inhaeres, ab ea recedere, aut ulterius quicquam inquirere nefas arbitraris: nos quoq; ut idem tecum faciamus, tuumque paradoxum, quod illi placito cohæret, veneremur, cogere vis. Argumentis verò ad eam rem uteris, partim ineptis, partim falsis, partim egregio sophismate ad dolum comparatis; facile ut ex iis eluceat, non pro sententia sacrarum literarum, sed pro tua, quam tute in eas intulisti, pertinaciter te dimicare: Quod si nondum satis ex prioribus patuit, ex sequentibus certe ad oculum patebit.

Quid nos? Cùm alia in sacris literis esse propria, alia figurata constet: atq; hæc controversa verba ea in materia legantur, quæ figuris ubiq; abundat: abhorreant etiam procul dubio à communi propriè loquendi consuetudine: deniq; diversimode ante nos olim exposita sint, ac dissensiones interpretum pepererint: haud immeritò nobiscum quærimus, quomodo ea sint intelligenda, ne, quod supinorum ac stultorum est, temerè nos in sententiam aliquam



projicientes, in errorem incidamus. Nec sane  
 movent nos, aut à consilio hoc nostro deter-  
 rent illa, quæ vos nobis objicere hoc loco in-  
 more habetis: in verba Dei non esse inquiren-  
 dum, curiosum & arrogans illud *QUOMODO* à  
 patribus meritò castigatum, à negotiis fidei  
 amovendum, postpositaq; rationis scrutatio-  
 ne simpliciter acquiescendum iis, quæ Domi-  
 nus in testamenti sui tabulis pronunciat: si quis  
 aliter faciat, eum arrogantia improba ac infi-  
 delitatis suæ argumentum edere. Nam ea ut  
 egregia sane sunt, si tempestive usurpantur ad  
 reprimendam lascivientem rationem: ita ri-  
 sum planè merentur, cum à vobis huc adhi-  
 bentur.

Quid enim in sacris literis verum sensum  
 verborum querere non licet? aut cuncta, quæ  
 in iis sunt, ad literam intelligere nos oportet?  
 nec fas est, scrutari amplius, aut altius assurge-  
 re? At hoc sentire, carnaliter sapere est, inquit  
 Augustinus: neque ulla mors animæ congru-  
 entius appellatur, quam cum intelligentia car-  
 ni subjicitur, sequendo literam, id est, eum  
 sensum, quem verba, ut sonant, ubiq; simplici-  
 ter accepta denunciant.

At quanto melius idem hoc quàm vos, is  
 quem modo citavi, etiam alio loco Augusti-  
 nus? Dicamus ei, inquit, (*patitur enim nos non qui-  
 dem contradicentes, sed nosse cupientes*) *ô domine Ma-  
 gister bone, QUOMODO caro non prodest quicquam?  
 cum tu dixeris: Nisi quis manducaverit carnem meam,  
 & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam.*

En tibi non exemplum solúm inquisitionis hujusmodi sobriæ in re simili, sed causam quoque demonstratam. Quantoque sapientius ille, quem vos plurimum in hac re jactatis, Chrysostomus? *Quid est, dicens, carnaliter intelligere? simpliciter, ut res dicuntur, neque aliud quidpiam cogitare.* Homil. in Johan. 46. Optimè verò Cyrillus eodem illo loco, ubi Capernaitarum ac Nicodemi illud *Quomodo*, in Dei potentiam & sapientiam morose aut arroganter inquitens, meritò castigat: non solum licitam esse, sed summam quoque laudem mereri hanc in arduis investigandi veri sensus sollicitudinem demonstrans. Nam ideo murmurasse & reprobatos esse à Domino Capernaitas dicit, *quòd animales homines spiritualia non intelligerent, nec sapientum instar verum intellectum indagare sedulo, atq; à Christo humiliter petere studerent, sed literalis sensui inherentes ad non intellecta statim cum fastidio exclamarent, Quomodo potest, &c.* Nec minus clare Hilarius, graviter nos monens l. 8. de Trinit. *Ut quæ sunt legamus, & quæ legerimus intelligamus: & tunc perfecta fidei munere fungamur.* Numquid adhuc requiritur amplius? Satis quidem ista animis præsertim piis & de veritate sollicitis, aut etiam plura quàm satis.

Sed tamen unum illustre præterire non possum, quod Athanasius habet in epistola de Synodo Nicena. *Hominum perspicacium est (inquit) ut præcipit Apostolus, lectioni attendere, ut rem cum judicio discernant, & pro natura rerum, quæ ibi scribuntur, vocabula accipiant, sine intellectus consu-*

sione. Quæ orthodoxi hominis, magnaque auctoritate & iudicio præditi gravissima sententia, vide Hofmanne, quantum à supino securoque sensu vestro ac fastidio inquisitionis, quo non ipsi solum mirè vobis placetis, sed alios quoq; vestro exemplo eidem indormire jubetis, diffideat.

Itaque ut dixi posthabitis cavillis vestris ac terriculamentis puditissimis, ab investigando verborum vero intellectu absterri nos haud patimur, sed obsecuti potius Christi mandato, jubentis scrutari scripturas, & verbis Apostoli parentes, qui præcipit intendere lectioni, ac sacras literas ἑρθευσαμεν, alacriter progredimur, sequimurq; & consilia & vestigia orthodoxorum patrum, qui hac via ubique præeuntes, quid nobis quoque faciendum sit, demonstrant. An verò horum aliquid negare tibi promptum est?

*Quæ admodum hic faciendum moneri patres, ita contra Ubiquitarios cum Heflusio suo ipse fecit Hofmannus. Quæ via nisi ingressus esset, illorum iricus expedire se non potuisset. Vide Colloq. Quæ delb. in quo ostendunt Helmsfadiæ: non utrum verum sit quod Spiritus S. dicit de Christo homine, ut impleret omnia, v. c. omnia habere subiecta pedibus suis, sed quo sensu hæc accipienda sint, esse querendum: Deinde non simpliciter ad litteram ea esse intelligenda (ita enim violatur iri ceterum doctrina divina) sed pro phrasi quædam scripturæ habenda docent. Postremo etiam, non a Dei potentia infinita hic argumentandum pro ubi-quitate carnis: cum non, quid Deus fecerit, sed quid velit in hac re, ac quid ex voluntate eius sit, quærat, demonstrant. Sna regitur sententia damnatur Hofmannus.*

Nam ad patrum prægredientium exempla quod attinet, tam manifesta res est, ut nemo qui eorum libros attigit, ignoret. Dic enim mihi quæso, mi homo, è multis ut paucula attingam: quomodo his de verbis, *Ego & pater unum sumus, Ego in patre & pater in me*, contra Praxeam suam ea sine modo occinentem egit Tertullianus? quomodo contra phanaticos carnis



carnis & sanguinis resurrectionem negantes, hæc Apostoli verba, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, interpretando conferendoque cum verbis aliis vendicanda esse docuit Augustinus? Quæ ratione in ore perpetuò habentibus ac ingeminantibus illud, *Pater major est me*, Ario & Arianis occurrit tota orthodoxa antiquitas? Postremò Eranisten illum Eutychnum similitimum vestri disputatorem ad probandum dogma suum abutentem hac propositione, **VERBUM CARO FACTUM** est, quæ perperam intellecta occasionem errandi ei dederat, atque huic more vestro, propè soli incubantem, quo modo rejecit, quam viam ingressus est ad enodandam illam quæstionem erudendumq; verù propositionis sensum Theodorætus? collatione nimirum aliorum scripturæ locorum, tum cæteri omnes in suis controversiis, tum hic quoq;, **QUOMODO** accipièda sint ea verba, ne cum *ἀπαρ. οὐλ. q.* fidei, consensuq; reliquo sacrarū literarū dissideant, cōmonstravit.

Quæ cum ita sint: quænam causa esse possit, cur nobis in hac quæstione sacramentaria idem non liceat? præsertim cū & hîc quoq;, præterquam quòd ipse Christus *εἰς αὐτὸν* quandam hujus generis nobis reliquit Joh. 6. cū literali sensui verborum suorum intentos oburgans dicit, *Caro non prodest quicquam: Spiritus est qui vivificat: verba mea spiritus & vita sunt*, patres iisdem vestigiis præeuntes habeamus.

E quibus Cyprianus clarissimè testatur, ideo Apollolis secretiùs impressam veritatem &



sinceritatem, ut gentibus illi exponerent,  
 QUOMODO PANIS ET VINUM CARO  
 ESSET ET SANGUIS, & quibus rationibus hoc  
 in mysterio causa effectibus convenirent, & diversa  
 nomina ad unam velut essentiam reducerentur, & si-  
 gnificantia & significata iisdem vocabulis censerentur.  
 Lib. de unctiōe. Sed multo evidentissime  
 Augustinus, qui in libro de catechizandis ru-  
 dibus cap. penult. de sacramentis differens,  
 Dicendum etiam, inquit, quid significet sermo illes  
 quid in illo condiat, cuius illa res similitudinem gerit.  
 Deinde & monendus est hac occasione, ut si quid etiam  
 in scripturis audiatur, quod carnaliter sonat, etiamsi  
 non intelligat, credat tamen spirituale aliquid signi-  
 ficari, quod ad sanctos mores futuramque vitam per-  
 tineat. Item ad Bonifac. epistola 23. Secun-  
 dum quendam modum, ait, sacramentum corporis  
 Christi, est corpus Christi, sacramentum sanguinis  
 Christi, sanguis Christi est. Et rursus in Johan.  
 tract. 27. Illi putabant eum erogaturum corpus  
 suum: ille autem dixit, se ascensurum in caelum, utiq;  
 integrum. Cū videritis filium hominis, &c. Et  
 haec ad mysterium Cœnæ referre autorem  
 tam certum est, ut confirmatione non egeat.  
 Multa alia passim. Verū unus clarissimus  
 locus

In eo Augu-  
 stini loco in-  
 ter cetera hec  
 sunt: Brevis-  
 ter quidem  
 hoc dictum  
 (nempe pa-  
 nis est cor-  
 pus Christi,  
 & calix est  
 sanguis)

quod fidei fortasse sufficiat, sed fides instructionem desiderat. Et mox: Pote-  
 stis ergo modo dicere mihi, præcepisti, ut credamus: expone, ut intelli-  
 gamus. Deinde ex enumeratione articulorum fidei de vero corpore Christi, in ca-  
 lix ad dextram patris iam sedente, velut obiectionem movens, ita subsicit, QVO-  
 MODO EST ERGO PANIS CORPVS EIVS? ET CALIX vel  
 sacramenta dicuntur &c.

locus ejusdem in sermone ad infantes, qui pro omnibus esse potest. Nam non solum, Quomodo panis sit corpus Christi, quærendum monet, sed modi quoque illius, aut sensus inveniendi, ac totius quæstionis tractandæ velut methodum nobis demonstrat, principalibus etiam, quibus nos ferè urimur, suggestis argumentis. Et tu mi homo, quid postulabis amplius? Locum integrum non ascribo, quia prolixior est, & omnibus notus. Sed dignus planè qui diligentissimè omnino consideretur. Nam à veritate corporis Christi, id est, ab articulis fidei ad sacramentorum naturam: inde ad Paulinam interpretationem, mysticam hæud dubiè & figuratam descendit, Baptismo cœnam comparat, fidem qua Christo incorporamur, requirit, impios aut infideles à re sacramenti excludit, deniq; participes ejusdem rei verè fieri etiam illos affirmat, qui, si absit contemptus, Sacramentum externum nunquam percipiunt. Quæ tam sanè similia sunt nostris, ut si nomine demto, tibi aut cuiquam tuorum offerantur, statim Zvingliana, Calviniana, Sacramentaria esse sitis clamaturi. Atque hæc sudes tibi sunt in oculis tuis, Hofmanne, quas extritas esse è libris Augustini percuperes, & magno etiam redemptum velles. Quam ob causam exterminare etiam hunc sermonem è reliquo ejus opere, aut pro notho traducere omni studio annitimini: Sed frustra omnino. Nam nihil hoc loco dicitur, quod non passim eodem in

autore occurrat, multoq; quam hic copiosius explicatum habeatur.

Et quis unquam é patribus reliquis Augustinum ob hanc methodum ac doctrinam notavit, in tanta præsertim, quæ tum viguit, reprehendendi libidine? quis eum nõ orthodoxum habuit? Unde sequitur, non hujus solum, sed cæterorum quoq; doctorũ, imò Ecclesiæ universæ eum tum sensum fuisse. Idq; non silentio tantum hoc suo, sed verbis & rebus quoq; pleriq; omnes probarunt. Quis enim patrum fuit, qui non cum Augustino cœnam Domini, aut verba ejus ex cap. Joh. 6. quoties usus esset, intantè exponeret, id est, hoc maxime faceret, quod tu facere prohibes, quod nefas esse dicis, quod hæreticum calumniaris? Itaq; patribus alapam te impingere Ecclesiæ veteri faciem ferire te scito, cum damnas & conspicias eos, qui interpretationis verborum cœnæ causa, Johan. cap. 6. huc allegare & adsciscere audent.

Ecquid enim vides, quid illi faciant, quos tu maximè vehis ac in ore habes, Cyrillus, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus? Nimirum non obiter respiciunt ad concionem illam Christi apud Johannem, nõ perfunctorie eam attingunt, cum de cœna Dominica agunt, sed totum adeo mysterium ex hac ipsa copiosè pertractant & exponunt. Quo loco, si audes, Hofmannè, pedem confer, ac quid dicas tu, quid dixerint & fecerint illi, considera. Quæ si conciliare potes: **ITA & NON** eandem vim habere



bere, similiter potes demonstrare. Tu enim dicis, in solis institutionis pauculis verbis hærendum, cum sensum mysterii volumus explicare: illi non solum non hætere, sed etiam hærendum non esse docuerunt. Tibi non necessarium videtur, in interpretando ad analogiam fidei, & totum systema doctrinæ Christianæ respicere, imò infideles vocas, qui eam necessitatem sibi fingunt: illi cum Apostolo Paulo & fecere, & faciendum ostendere. Tu in explicando hoc mysterio ad cap. Joh. 6. decurrere, id vocas fugam arripere, cum res sit illic plane diversa (sic enim verba tua habent) sed patres vix unquam hanc materiam attigere, quin confestim ad caput illud tanquam proprie huc pertinens se recipere.

Sed progrediamur & quomodo Augustini *subscriptis* vestigiis non solum in questione hac usurpanda, *methodi brevissimæ.* sed etiam in probandi methodo ac præcipuis argumentis insistamus, brevi proposita *subscriptis* declaremus. Quandoquidē quæritur inter nos de sensu verborum Domini, i. e. quomodo intelligi debeat, quod Christus dixit, panem & vinum esse corpus & sanguinem suum: primum indagationis hujus reflexum habemus ad articulos indubitatae fidei, ut Paulus faciendum monet: ne quid utique interpretando, quod fidei consensum violet, aut contrarium ei sit, admittamus: præsertim cum corpus Christi, quod fidei potissimos articulos concernit, in questionis parte ponatur: quæ consideratio totum systema tuorum sophismatum facile evertit.



Simulveró & ad genus totum sacramentorum, quo hoc *μυστήριον*, de cuius verbis agitur, contineri certum est, ut ut etiam vos propterea ringamini, considerandum nos convertimus. Illinc haud parvo intellectus gustu, ceu primo lumine hausto, ad speciem porró ipsam expendendam concedimus: in qua priús quid in ipsis institutionis verbis habeatur, (quod omnium proximum est) deinde quid á Christo & Apostolis ceu interpretandi causa alibi de eadem re dictum scriptúmve sit, investigamus. Tum á circumstantiis & cohærentibus rebus argumenta evidentiá sumimus. Postremó, quid Ecclesia Orthodoxa jam inde á temporibus Apostolorum tenuerit, consideramus.

En methodum nostram Augustinianæ similitimam. In quam ecquid habes quod dicere possis? Vagarine eam, & deserta sede quæstionis, ad peregrina ac ad rem non pertinentia deflectere? Hoc enim dicitare solet candor vester, cüm tergiversationes contra evidentiá veritatis quæritis: in quo tibi quoque libuit, ne parum multa dicere viderere, prima in disputatione tua, non minus, quám 30. theses perdere. Sed patere quæso, Hofmanne, ab hoc iudicio tuo nimium suspecto, ad æquum lectorem nec mihi nec tibi addictum, interposita appellatione legitima, me denuo provocare. Qui si istam litis partem secundum te dabit, planam tibi viam stratam esse ad universæ causæ victoriám obtinendam fatebor. Ego cum

cum Augustino, universo doctrinæ Christianæ ubique secum consentientis systemate, atque imprimis articulis præcipuis fidei religiosè ac reverenter ob oculos mihi positis, ne quid ab his diversum sequar, ad genus primùm considerandum, cujus formæ conformem esse speciem necesse est: deinde ad ea, quæ de ipsa specie, sed extra cōtroversa hæc verba, dicta sunt, expendenda; cognataque alia, cum controversis conferenda venire nos oportere, ut rectum facere iudicium possimus, atque à scopo non aberremus, existimo: Tu verò religione servandæ analogiæ fidei, ac consensionis perpetuæ sacrarum literarum liberè posthabita ( id enim thesi 54. disp. 1. item in hoc contra me famoso tuo scripto impudèter proloqui ac profiteri non vereris ) non ad controversiæ veram sedem, quæ generis ac speciei, cognatorumque consideratio est, sed directè ad ipsam controversiam, id est, in dubitatione explicanda ad ipsammet dubitationem, probandi ergò decurrendum esse arbitraris: generis mentionem non fers, collationem vicinorum dictorum fastidiosè repudias, atque eo nomine nos etiam increpas, una verba controversa in ore habes; postremò in petitione principii sola plus momenti esse ad definiendam gravissimam questionem, quàm in vera methodo, ac cunctis bonæ consequentiæ regulis, putare videris.

In quo ne injuriam tibi fieri à me, dicere possis, age quanquam non pauca hujus generis jam antè exposita à nobis sint: tamen hîc

*Methodus  
Ho. mannii  
assintat*

quoque methodum tuam, qua in explicatione sententiæ vestræ uteris, cum præcipuis fundamentis, *ex Quib. &* videamus. Ubi denuo contestor; non me sophismatum tuorum tricas ineptissimas, in quibus consulto lectorem tuum detines, ut à rerum inquisitione eum avertas, esse retexturum: (non quòd difficile hoc, sed quòd longum ac molestum, perdendoq; temporis sit, imprimisq; à rei ipsius examine, quod tu fugitas, atq; hac maxime ratione callidè declinare conaris) sed præstigiis illis remoris, aut in aliud sepositis tempus, ipsissima fundamenta tua ob oculos esse positurum.

Sic igitur disputatio tua habet. De corporali corporis Christi in pane Eucharistico presentia dissidemus: Tu eam omnib. modis affirmas, atq; argumento uteris hoc nõ solum maximo, sed etiam solo: quia Christi verba, Hoc est corpus meum, ad literã sine figura accepta, id liquidò evincant. Ubiquistas enim & Flacianos alterum fundamentum ponentes repudiare te ostendis. Itaq; hæc sola verba ita teris, veritas, secas, in ore perpetuo habes, ac si nulla alia in sacris literis scripta haberentur. An non ita? Atqui id inter nos quæritur potissimum, an sint ea Christi verba sic, uti tu vis, ad literam intelligenda; atq; hinc omne nobis dissidium ab initio, velut ex prima causa, profluxit, ut est prius monstratum. Quæstionem igitur pro argumento arripis, eamq; non secus ac si probata ac concessa tibi sit, identidem nobis ingeris, adeoq; hoc ipso ultrò etiam gloriaris: thesi 33. disp. 2.



disp. 2. & passim: quæ explicandæ quæstionis prioris gratia adferri possunt, cum stomacho repellis. Quæ cuncta Eranistes ille, quem antè tibi objeci, apud Theodoretum, similima ratione faciebat.

Verùm, ne hîc statim hætere videaris, *verè* <sup>prò</sup> verborum sententiã tuam operosè admòdum, multaq; cum pompa ad fallendũ defendere atq; imprudētib. obtrudere conaris. Itaq; multo pulvere argutiarum excitato ad turbandas lectorum mentes, minutisq; passim sparsis argumentis, de veracitate Christi testamētum condentis, de testamentorum formula planissima, ac à figurarũ usu maxime aliena; de Evangelistarũ & Pauli mirabili consensu, de Sacramēti integritate rē exhibēte cum signo, quib. ipse fidere nō audes, mirũ quomodo te jactes, ingeniũq; ostētes tuũ. Cuncta tamē in unicum hunc syllogismum, quo navem fluctuãtem sistere ac firmare vis, alioqui haud dubie mergendam, tandem tibi recidunt.

*Argumentum Hofmanni præcipuum.*

*Qua in propositione, nec in subjecto seorsim, nec in predicato tropus est, ea tota tropo libera est. Nam in copula connectente illos terminos, aut in ipso toto predicandi modo esse non potest, cum ex Rhetorum sententia sit tantũ in singulis vocib. non autem in oratione.*

*At in propositione hac controversa, nec in subjecto, nec in predicato tropus est: ut ipsi nostri, qui doctissimi sunt, fatentur.*

*Ergo tota ea propositio tropo prorsus libera est. Si hoc: quomodo negari potest, quin ad literam sit intelligenda; quod quærebatur?*



Atque hîc mirum in modum strepis, provocas, invictum & irrefragabile contra nos argumentum à te inventū, clamas: postremò planè triumphas. Sed hui quam vanè? quam profusus ridiculè? Quod ut tibi declarem, sic contra te inferre libet.

*Argumenti  
Hofmannici  
vitiâ.*

Ex falsis præmissis falsa sequitur conclusio. Sed altera præmissarum tuarum, nimirum Propositio major, falsa est multis modis.

Ergo conclusio quoque, quam inde inferis, plane falsa.

Falsitatem verò Majoris compendio sic cōmonstro. Tu ad eam probandam, ad auctoritatem Rhetorum ac Dialecticorum provocas. Enigitur, Melanthon an non tibi talis est? non est ( ne quid in Melanthonē calumnieris ) Quintilianus? Atqui ille figuratam prædicationem simpliciter dixit esse in sermone improprio: Figuratam verò intelligit tropicam, quod negare non potes: ponitque alibi exempla talium prædicationum tropicarum, *Fasces sunt imperium, Calix est novum testamentum*, imò verò etiam hanc ipsam de qua jam contendimus, *Panis est corpus Christi*: Fabius autem lib. 8. cap. ult. & lib. 9. cap. 1. in os tibi contradicit, quo utique majorem in Oratoria autorem requirere haud audes. *Tropus*, inquit, *est sermo à naturali & principali significatione translatus ad aliam, ornandæ orationis gratia*: atq; in hunc numerū disertè *μεταφορὰν* nostram recenset. Et rursus, *Errare mihi videntur, qui non alios credunt tropos, quàm in quib. verbum pro verbo*, (id est vox pro voce,

ce, quod tu vis Hofmanne, ) *ponitur*. Quid hoc cecine est, se turpiter dare? Imò quomodo possis turpius? cum id, quod tu maximum ac solum firmamentum propositionis tuæ fidenter posuisti, non solum opera tam facili subducatur tibi, sed etiam planè in contrarium ad tua subvertenda veratur. Et quod argumentum vanitatis ac impudentiæ tuæ arguendæ dari queat evidentius?

Quod si auctoritates humanæ aliquid valere debent, quid tibi magis adversum est, quam quòd Melanthon (Chytræum & cæteros jam taceo) non solum alias, verum has etiam ipsas locutiones sacramentales, quarum tamen extrema tu sine tropis ponis, inter tropicas recensuit? Quod an inficias ire potes? Sed auctoritates tantum hæc sunt: ipsam rem videamus, idque simplicissime & brevissime, sepositis sophismatis. Fasces sunt imperium, tropicane locutio est? sed hæc auctoribus non est usurpata, respondes: Sit sane, quamquam Melanthon caulus sit, non malus autor. *Testamenti tabulae sunt voluntas testatoris*, nonne in usu est, extremaq; ejus sine tropis? Et tamen extra tropum non est ipsa propositio. *ἡ ἐκείνη* enim habet propriam prædicatum ad subjectum, ex qua *ἡ ἐκείνη* propositionū ratio alia atq; alia estimatur.

Quid multis? absolvam compendio, ac falsitatem tui somnii ob oculos ponam.

In sacris literis, ad quas hæc controversia pertinet, quæque solæ de mysteriis divinis loquuntur, quot occurrunt locutiones hujus-

modi? Quarum binas aut ternas ex omni multitudine ad te coarguendum producere, satis erit. *Sanguis est anima, Christus est pascha*, in qua voce una, si voces seorsim consideres, tropus est: In hoc ipso Sacramento, *Calix est novum testamentum in sanguine*, age explica nobis, ut tuæ regulæ quadret. Sed ut ea quoque non sint, unum tamen pro omnibus tibi ingero, quod totam propositionem tuam tollat. *Petra erat Christus*, ait Apostolus. Hic ex te quaro, Hofmanne, qui tam audacter regulas nobis ponis, utro in extremo tropus sit, si seorsim extrema accipias? In Christone? at hoc dicere tibi piaculum est. In Petra? reclamant orthodoxi interpretes, atque ante alios *orthodoxorum* Augustinus. Reclamat verò res ipsa, & quidem tanta reclamant evidèntia, ut tergiversationi nullus sit relictus locus. Nam de petra illa biberunt omnes Israëlità in deserto, ut docet Apostolus, quemadmodum & eandem escam spiritualem, nimirum manna, omnes comederunt, ac sub nube fuerunt. Atqui in omnibus permulti fuere infideles, quos Christum comedisse, aut de eo bibisse, id est, ejus realiter & verè factos esse participes, certè dicere non audebis. Nam ejusmodi absurdo nihil dici potest apud aures Christianas absurdius. Unde conficitur, materialem petram deserti eo in dicto, ut & manna & nubem, intelligi oportere, non autem Christum: de quo haurire accedere non poterant, nisi fideles. Mōstrata ergo falsitas tuæ regulæ. Nam figuratam



aut tropicam esse hanc propositionem ( ne etiam in hoc tergiversari possis ) non ego dico, sed omnium evidentissimé & dicit & demonstrat Augustinus.

*En Rhodus & saltus: quo si non viceris, ipsa,  
Post, quamvis tentans omnia, lite cades.*

Etenim hoc tu fulcro literalem sensum tuum ruinam minantem sustinere vis; Quo convulso, quomodo non tota maceries inclinata sequetur? Igitur, ut denuó dicam, tuique te periculi admoneam, aut hic tibi vincendum, aut causa tota deferenda. Nam non ea solum, quæ dicta ac disputata jam sunt, hoc tigno subducto corruiere necesse est; sed reliqua quoque, quæ deinceps tergiversandi causa proferentur, eandem ruinam sequentur.

Unum etiam hic addam, priusquam progrediar, quod ad te pudefaciendum vel maximé facit. De Brentio, Hofmanno, quæso te, quid sentis? quereris, in Ubiquitatis errorem prolapsum, quem probare non possis. Credo: sed doctrinam ejus, cui instirit, priusquam eó progredierer, qualem censes? Sacramentariam non opinor te esse dicturum. Nam & Lutherus vehementer eam probavit, & ipse Brentius Sacramentarios, quos errorem fovere suspicabatur, refutare in professo habuit. Is igitur vide quam te aperte confundat, cum in Exegesi sua in Johannem, diligenter & graviter hunc locum tractans, omnino TRO-  
P. U. M. esse in his verbis, *Panis est corpus Christi,*

*Brentij doctrina in Exegesi Hofmannum confutat.*

dicit, idque negari non posse affirmat; Tropum etiam synecdochen edit, atq; eam ita exponit, ut aut Metalepsi similimam, aut cum hac conjunctam faciat, & tuam tergiversationem de Grammatica ratione evidentissimè excludat. Nam panis, ait, ideo corpus esse dicitur, non quia solum significat (sic enim abesset corpus) sed quia instrumentum ac medium factum est, quo verè & praesenter fidei nostra corpus donatur ac distribuitur. Quemadmodum & baptismus est vera & viva regeneratio, non solum, quia veram regenerationem significet, sed quia est instrumentum & medium, quo viva regeneratio nobis exhibetur. Et per hanc figuram Circumcisio quoque dicitur, non solum signum fœderis, sed etiam ipsum fœdus & pactum, propterea quod per Circumcisionem, tanquam instrumentum, fœdus Dei, semini Abrahae exhibitum & donatum est.

Haec tenus Brentius, eo loco: nec aliter in Syngrammate Suevico se explicat. Et quid quaeso è diametro magis tuae huic conclusioni, totiq; tuo syllogismo à quoquã dici posset contrarium? quid verò postulas, homo mi, non solum à nobis, sed à discipulis aut fratribus etiam tuis? tibi assentiamur velut è tripode nova oracula reddenti; Brentio, Lutheri amicissimo, quique non minus in professio habebat, Sacramentorum integritatem asserere, quàm tu, Ubiquitarii quoque dogmatis adhuc experti, fidem derogemus? Nec enim eo solum à te in hac parte dissentit ille, quod tu tropum omnino è propositione sacramentali exturbas, ille recipit ac necessariò recipiendum definit, ita

ita causæ tuæ fundamentum, cui tu cuncta superstiti uis, penitus tollit: sed etiã, quem tu prædicandi modum ignotum & inusitatum esse acerrimè contendis, eum idem ille notum, ac in communi hominum cõsuetudine per familiarem, usitatumque in his ipsis verbis, affirmat: quod tu corporis ori externo dari, in sacramẽto, nimirum verum corpus Christi, magna auctoritate pronuncias, id ille fidei tantum donari, disertè nos docet. Sequitur ergo, aut deliraret te, aut Sacramentariũ fuillẽ, cum ista scriberet, Brentium. Sed hic Sacramentarius non fuit, vel te iudice. Nam probatus est à Luthe- ro, & in Sacramentarios scripsit. Quod restat, tibi inferendum relinquo.

Sed ad argumentum illud tuum *res pñs* ancoram nimirum & spem causæ tuæ regrediamur, quamque vanum sit, porro quoq; demõstramus. Libet enim mihi, quanquam vitio eius crassissimo in lucem protracto, refutatum jam satis sit & confectum, tamen non secus ac si nihil adhuc actum esset, alia quoq; via vanitatem ejus coarguere. Id ita facio.

*Cujus conclusionis contradictoria ex certis & veris premisis, legitimeq; dispositis per bonam consequentiam inferri potest, eam necesse est esse falsam, ac vitiosas itidem ejus premissas.*

*Sed contradictoria conclusionis tuæ inferri per bonam consequentiam ex veris ac certis premisis potest.*

*Ergo conclusionem tuam esse falsam & vitiosas premissas planè necesse est.*



Negabis, fat scio, syllogismi hujus propositionem minorem. Eam igitur demonstramus. Sed paucis omnino, iisq; ex methodo illa nostra prius indicata desumptis. Omnia enim exigere nec instituti nostri est ( qui tibi tantum respondere hoc tempore, id est, consequentiarum tuarum vanitatem ostendere decrevimus ) nec otii: Et sunt doctissimi a summis viris pertractata, unde rectius illa, quibus discendi studium est, discere possunt. Et quanquam ab argumento illo ἐλεγκτικῶ, ab analogia fidei nostræ, quod in antithesibus præcipuum tibi opposueram, rectissime etiam hic orditi possem: tamen quia tibi id in finem rejicere visum est, ego quoq; in eo te sequar. Nec verò hoc etiam in te depromam, licet non alienum, aut invalidum, ad temet tuo ex ore condemnandum, quòd modum prædicandi in controversis his Christi verbis improprium, aut locutionem impropriam esse, in disputatione tua confiteris: interea tamen D. Philippum Melanct. expositionum distinctarumq; utiliter ac recte prædicationum autorè potissimum & citas & celebras. Unde merito concludere quis queat, ipsum te modum figuratum imprudenter, velut veritate confessionem tibi exprimente, agnoscere: cum Philippus modum prædicandi figuratum dicat esse in sermone improprio, ac in usitatum restringat ad locutiones solas de filio Dei: sed in usitatū quoq; modū, latibulū nimis argumentū *ἡ τοῦ εἰρησικῶν* sequitur, quòd petit jugulū cōclusionis illius tuæ.

*Id factum in  
refutatione  
tergiversa-  
tionum prio-  
rum.*

*Disputa-*

Disparatum de disparato non potest veré, nisi modo figurato, predicari. Excipiuntur á Melanthoné solæ prædicationes de persona filii Dei, quas inusitatas ipse, singulares scholastici nuncupant.

Argumenta  
pro sententia  
orthodoxa.

Sed panis & corpus Christi disparata utiq; sunt, & verissimé alterum de altero predicatur: nec tamen inde constat a proposito loquitur de persona filii Dei.

Ergo prædicatio hæc haud dubie est figurata: cujus contradictoriam habet conclusio tua.

En iterum Rhodus & saltus. Verúm aliud etiam succedat, propius ad rem pertinens, id est uberius de mysterii ratione nos erudiens argumentum, imó vel solum rem totam con-  
ficiens, nisi obstet pertinacia, á genere peti-  
tum. Quod exponam paulo prolixius.

Species rectissime ex natura generis sui judicatur, hoc est, speciei forma ac ratio essentialis non potest á ratione ac forma *ouσαίνω* generis, aut natura illius ab hujus natura dissidere: alioqui enim species istius generis non esset.

Sed ritus Cœnæ Dominicæ, cujus hæc cōtro-  
versa verba sunt, verúm Sacramētū est, é signorū  
sacrorū genere, quæ nō solū significāt, sed etiā  
de exhibitione donorū promissorū testantur.  
Cujusmodi signa *σημεία* Apostolus optima  
ratione nominat. Obsignāt enim fidei nostræ  
promissiones divinas. In qua propositione tu  
ringeris, Hofmāne, & quāvis tantū tibi frontis  
sit, ut negare eā nō aulis: tamé, quod venenū in  
ea tuo *μαγ. δὲ ἔσθ* esse arbitraris, putidissima in-  
eprissimaq; ratione nescio quid tergiverfaris:  
pinde ac si dicere velles, faterer hoc ac recipere

ob evidentem rei veritatem, modò causæ meæ talis confessio non noceret. Sed frustra ita agis. Nam, velis, nolis, admittere propositionem cogéris: aut cum evidentissima veritate, quæ semet omnium oculis offert, ac cum orthodoxa omni antiquitate, cum Luthero, Bértio, Bucero, Melanphone, cæterisque commitéris. Augustinum sanè nosti, omnium patrum maximè *μεθοδιούς ἔδιδακτερόν*, quomodo Sacramenti vocem accipiat, atque ex sensu Ecclesiæ ejus sæculi exponat, cum passim, tum in libris de doctrina Christiana, qui Catechismi instar sunt. Et is Ecclesiæ Christi in novo testamento sacramenta ejusmodi duo esse tradita scribit, factu scillimà, intellectu augustissima, observatu castissima, *Baptismum & Cœnam Domini.* Quem egregie hac in parte excipit Brentius in Exegeli in Joh. dicens: Sacramenta verbo addita esse, ut sint medià & instruméta vnà cum verbo, quib. credenti bona Dei communicarentur: Talia vero duo esse in novo testamento, Baptismum, & panem ac vinum Cœnæ Dominicæ. Deinde perpulchre, paria esse ista, in utroque declarat.

Atqui sacramentorum omnium, id est, rotius generis hæc ratio est seu forma constituens, ut quemadmodum homo ex corpore & anima, ita ipsa ex signis externis ac visibilibus, & signatis internis ac cælestibus rebus consistens, signaque externa ordinata divinitus sint ad testificandam rei signatæ cælestis in legitimo usu veram exhibitionem. Quæ pulchrè rursus  
patres,



patres, Irenæus, Chrysoſtomus, Cyrillus, Mar-  
carius, atque ante alios Auguſtinus; & patrum  
doctrinam in hoc non incommode ſecutus in  
Exegeſi ſuper Joannem cap. 6. Brentius non-  
dum Ubiquitarius, cujus verba integra recita-  
ta ſunt ſuprà, quibus velut paria confert inter  
ſe circumciſionē, baptiſmum, Cœnā Domini.

Ergo Cœnæ Dominicæ ejuſmodi quoq; ra-  
tionem eſſe nemo ſanæ mentis negaverit. A-  
lioqui enim ipſa ſacramentum verum non eſ-  
ſet, ac generi ſpecies præcipua eximeretur.

Porrò quorum eadem iſto modo forma &  
ratio eſt, ea prædicationes etiam ex ſe pariunt  
rationis ejuſdem, vel, in iis prædicandi quoque  
ratio par: ut præclarè in Exegeſi & Syngram-  
mate idem Brentius, locutiones de Circumci-  
ſione, Baptiſmo, Cœna Domini cõparans in-  
ter ſe, & ſimilitudine exigens: Id quod ratio  
quoque planè cogit ac poſtulat. Sunt au-  
tem prædicationes ſacramentales in ſingulis  
hæ: *Circumciſio eſt ſædus, Agnus eſt paſca Domini, Pe-  
tra eſt Chriſtus, Baptiſmus eſt lavacrum regeneratio-  
nis, vel, ut enunciat Brentius, eſt ipſa vera rege-  
neratio: idem eſt ſepultura noſtra cum Chriſto, bap-  
tari eſt Chriſtum induere, Panis eſt corpus Chriſti, vi-  
num eſt ſanguis ejuſdem.*

Nec audiendi hîc ſunt tergiverſatores, no-  
dum in ſcirpo quærentes; qui ajunt, omnes has  
propoſitiones integras iſdem ſyllabis in textu  
non inveniri: cùm cõſtet omnibus, ne has qui-  
dem controverſas ita in ſacro codice eſſe ſcri-  
ptas, quanquam de earum veritate nulla ſit du-  
bitatio.

Quo igitur modo Circumcisio erat fœdus, agnus erat phase, petra erat Christus, Baptismus est regeneratio, ut loquitur Brentius, Item sepultura nostra cū Christo: Eo etiā modo panis est corpus, & vinū est sanguis Christi. Vel, Quēadmodū illa dicebātur, dicuntur ve fœdus, pascha, Christus, regeneratio, sepultura; ad eū quoq; modū hec dicuntur corpus & sanguis esse Domini. Veritas quippe signorū & res ipsa semper eadē, etiā in veterū Sacramētis, ac unionis Sacramētalis mod' ubiq; par: signatū & ritus externi mutati, ac figuratio diverso respectu diversa: ut post Augustinū & ceteros patres ex Paulo, admodū preclarē idē eodē loco Brētius.

Sed is modus in priorib. indubitatio tropicus, atq; adeo Metonymicus est: quia externæ rei interna attribuitur, id est, de signo signatū prædicatur: ideoq; & per significationē Sacramentalē usitatē exponitur. Sic enim textus ipse interpretatur in nōnullis, ut de circumcisione, cū dicit, eam esse signū fœderis, itē sigillum iustitiæ fidei: in cæteris eodem modo patres, ac imprimis clarissimē & sapissimē Augustinus.

Ergo hæc quoq; locutio in Cœna Domini, *panis est corpus*, est Metonymica: quemadmodū vestigia Spiritus S. secuti, ex ingenio Sacramentorum eam interpretati sunt iidem patres, ne quisquam frequētius & disertius eodē rursus Augustino. Hinc sunt illa prius recitata: *Significātia & significata, nimirum panis & vinum, corpus & sanguis, iisdem nominib. censa: Cypr. P. ne corpus Christi representatum: Item, Hoc est corpus meum,*

meam, id est, figura corporis mei: Figura autem non  
 esset, nisi veritatis esset corpus. Tertul. Nos in  
 edendo & potando carnem & sanguinem Christi, qua  
 oblata sunt, significamus: Item, in typum sanguinis  
 Christi accipimus calicem mysticum: Ambros. Et ista,  
 Symbola in mensa sacra, hypomnemata salutaris pas-  
 sionis domini ab ipso nobis relictata: Antitypa & typi cor-  
 poris & sanguinis ejus: Basilii, Nazianzenus, Ma-  
 carius. Pane & vino representatur corpus & sanguis  
 Christi: Hieronym. Si mortuus non est Jesus, cujus ob-  
 secro signum aut symbolum est hoc sacrificium? Chry-  
 sost. Nomina a Domino commutata, & corpori nomen  
 symboli, symbolo nomen corporis impositum. Item,  
 Alimonia sancta, symbolum & typus corporis & san-  
 guinis Christi. Item, Mystera divina, antitypa corpo-  
 ris, plurag. similia: Theodoretus. Panis & vinum  
 sunt Sacramentum corporis & sanguinis Christi. Sa-  
 cramentum autem est sacrum signum. Item, Adhibuit  
 Dominus Judam illi convivio, in quo corporis sui figu-  
 ram discipulis suis commendavit, & tradidit. Item,  
 Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum  
 signum daret corporis sui, (additurq; illustratio p  
 eam, Petra erat Christus.) Item, secundum quen-  
 dam modum Sacramentum corporis Christi, corpus  
 Christi est, Sacramentum sanguinis Christi, sanguis  
 Christi est: Quemadmodum & fidei Sacramentum  
 (baptismus) fides est: Augustinus. quem inter-  
 pretatur Prosper his verbis, Panis celestis qui caro  
 Christi est, suo modo vocatur corpus Christi, cum revera  
 sit Sacramentum corporis Christi, illius quod visibile, &  
 palpabile, & mortale in cruce positum est, &c. Omnium  
 vero ratione in genere reddit Augustinus, di-  
 cens: Solet res quae significat, ejus rei nomine, quam signifi-  
 cat, nuncupari.



Recolligo breviter, & concludo.

Sacramentum est Cœna Domini: Sacramēta autem omnia, quotquot sunt, constant signis & signatis, quæ *quod* sacramentali inter se devinciuntur, imò uniuntur. Ob hanc *quod* verò signata de signis more sacramentis ulitato prædicantur: quod omnium manifestissime fit verbis Cœnæ. At talis prædicatio Metonymica est Ergo verba illa Cœnæ, Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus, Metonymicum prædicandi modum habent. Quod si verum: quomodo stabit cum *omnino* sua sensus ille tuus literalis, ac modus inusitatus, quandoquidem duo contradictoria simul vera esse non possunt? Hic rursus Rhodus & saltus.

Faceſſat verò calumnia, quæ dicit, hoc Metonymico sensu atq; expositione evacuari mysterium, id est, rem signatam tolli, signum inane relinqui. Hoc enim planè figuram, hoc significationem, de qua dicitur, portendere. Quasi verò istius criminis rei fiat patres, qui hac via præivere: aut se contra vos tueri non possit unus omnium maximè Augustinus, cuius hæc est sæpe inculcata expositio, cuiusque nos vestigia sequimur. Quasi inanis fiat Circumcisio, aut veritas ei auferatur, propterea quod Spiritus sanctus testetur, non solum esse ipsum fœdus, sed etiam signum fœderis: aut ideo figuratum fœdus censerī debeat, quòd dicatur figurata locutio esse, Circumcisio est fœdus. Sic etiam de pane & corpore.

Respon-

Respondeat verò pro se hoc loco Augustinus, & os vobis obturet. Docet enim is, non inanem ac otiosam significationem, aut vacuam figuram ejusmodi, ut vos comminiscimini, in sacramētis nostris esse: quamvis eo, ut dictum est, modo locutiones sacramentales ad proprietatem reductæ explicentur; sed rem promissam verè conjungi cum signo, atq; unâ cum signo legitimè utentibus exhiberi: atque hujus rei gratia, quò dubitatio hominibus tollatur, & certitudo illa significetur, Spiritum sanctum figuratè potissimum in sacramentis loqui. Verba ejus sunt: *Hæc Sacramenta sunt: in quibus non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia & aliud significantia.* Item, *Solet res quæ significat, ejus rei nomine, quâ significat, nuncupari.* Hinc est, quod dicitur, *Petra erat Christus.* Nō enim dixit, *Petra significat Christū;* sed tanquam hoc esset, quod utiq; per substantiam non erat, sed per significationem. Item, *Non dicitur est, Petra significabat Christum: sed, Petra erat Christus.* Ita enim solet scriptura loqui, ut res significantes, tanquam illas quæ significantur, appellet. Et rursum: *Secundū quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est; sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est: Et paulo post, paucis interjectis: Sicut de baptismo Apostolus, Consepulti, inquit, sumus Christo per baptismum in mortem: non ait, Sepulturam significamus, sed prorsus ait, Consepulti sumus. Sacramentum ergo tantæ rei non nisi ejusdem rei vocabulo nuncupavit.*

Passim verò de veritate rei significatæ, quæ

figno jungitur, prolixé concionatur. Atq; huc imprimis pertinet canon Nicenus: *In divina mensa non in propositum panem & poculum humiliter attendamus; sed elevantes mentem fide, intelligamus positum esse in sacra illa mensa agnum Dei tollentem peccata mundi, & dñus ipse & nos preciosum ipsius corpus & sanguinem veré sumere, & resurrectionis nostræ symbola esse veré credamus.* Item Macarii illud ex homilia 27. *Αὐτὸ καὶ οἶνον ἀντίτυπον τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ αἵματος· καὶ οἱ μεταλαμβάνοντες ἐκ τῶν φαινομένων αὐτῶν, πνευματικῶς τῷ σφραγιστῆ κρείσσει ἐδίδοσι.* Peregregié sané, & ad

*Id est; Panis & vinum est typus carnis eius & sanguinis: ac qui participat ex pane qui conspicitur, spiritualiter carnem Domini edunt.*

vos confutandos, ad patrum mentem quod attinet, quam aptissimé dictum.

Ex quibus hæc sequuntur, Sacramenta esse mysteria propria sua forma quidem significativa, nec rectius quàm per significationem exponi: verùm significationem eam non esse inanem aut similem ei, quæ vulgaribus signis inest, sed quæ exhibitionem etiam in usu vero adjunctam sibi habeat: atque ideo non significativa tantum, sed etiam exhibitiva Sacramenta videre, rectéque dici: in quibus res significata in usu legitimo signis veré conjunctæ sint, cumque iis non offerantur solùm recté utentibus, verùm etiam exhibeantur: Nec tamen propterea aut sensum literalem in verbis Domini, aut *συνεσίαν* illam vestram corporis cum pane cogitandam ullo modo: quippe quam elidant omnium evidentissimé verba Augustini, quibus formam illam *συνεσίαν*



& *etiam* reponit inter signum & signatum, ac *pen-*  
*ulo* reponit. *Tanquam hoc esset, inquit, quod utiq,*  
*per substantiam non erat, sed per significationem.*  
 Idque exemplis reliquorum Sacramentorum  
 fit manifestius: quæ sanè non eam ob causam  
 coëxistentiam ejusmodi signi signatique sup-  
 ponunt, quòd certum sit, ea non significare  
 solùm significata & promissa dona, sed etiam  
 obfirmare & exhibere. Quem locum non ab-  
 surde Brentius quoque in Exegesi nobis ape-  
 rit, ubi sic scribit: *Ideo flatus dicitur Spiritus san-*  
*ctus, quia hoc medio instrumēto Apostolis præsentèr ex-*  
*hibitus est spiritus per verbum. Ita & panis cœnæ di-*  
*citur esse corpus Christi non commutatione panis in*  
*corpus, aut imaginatione carnali corpusculi cujusdam*  
*sub pane latentis, sed distributione & præsentèr exhi-*  
*bitione. Corpus enim Christi panis Cœnæ, per verbum,*  
*fidei nostræ donatur & distribuitur. Qui autem in cœ-*  
*næ ex EST Significat, aut ex corpore figuram corpo-*  
*ris faciunt (intellige tu lector significationem*  
*aut figuram inanem, signato vacuum: quam*  
*nullus nostrorum unquam docuit, ut è scri-*  
*ptis eorum apparet) præsentem corporis CHRIS-*  
*TI distributionem à Cœnæ auferunt. Errant igitur*  
*vehementer, & in CHRISTI liberalitatem pec-*  
*cant, nisi fortè relinquunt in Cœnæ præsentem cor-*  
*poris distributionem: ut hoc loco coguntur, velint no-*  
*lunt, præsentem Spiritus sancti donationem relinque-*  
*re. Tunc enim utrumque posset ejusmodi expositio*  
*tolerari. Nam verum admodum est, corpus per pa-*  
*nem significari. At non verum est, ita significari*  
*ut corpus præsentèr fidei nostræ non distribuatur.*

In cap. ult. Johan. Quibus quidem in verbis  
 Brentii nullus apex est, Hofmanne, quem non  
 amplectar: quod te similiter dicere non au-  
 dere existimo. Et rursus alio loco: Verbum  
 Evangelii habet baptismum annexum: proinde, quem-  
 admodum verbo nobis donatur, & fidei nostræ offertur  
 regeneratio, ita & baptismo, qui est verbi appendix.  
 Vides itaq; baptismum non esse vanum & vacuum si-  
 gnum, sed tale, quo veritas regenerationis credentibus  
 datur. Est quidem aqua baptismi natura sua nullius  
 efficacie aqua, sed quia verbo regeneranti & vivifican-  
 ti appensus est, proinde optimo jure Paulus ad Titum  
 scribens baptismum vocat lavacrum regenerationis &  
 renovationis Spiritus sancti, ut non sit solum signum veri-  
 tatis, rei signata expertis, sed tale, quod præsentem possideat  
 rem signatam, & quo veritas rei credenti communicetur, non  
 quia aqua sit, sed quia sit verbi regenerantis aqua. Sic  
 & Ephes. 5. scribit: Sanctificavit Ecclesiam munda-  
 tam lavacro aquæ per verbum. En iterum habes, bap-  
 tismum non vacuum signum esse; sed per verbum, cui af-  
 fixus est, credentes purgare & regenerare. Huc acce-  
 dit, quod Galat. 3. legitur, Quicumq; baptisati estis,  
 Christum induistis. Cur igitur non omnes baptisati re-  
 generantur, si baptismus non vacuum signum fuerit,  
 sed eo veritas regenerationis offertur? Audi, quisquis  
 hæc objicis. Non hic nobis sermo est de homine bap-  
 tismum accipiente, sed de natura baptismi, quam ex ver-  
 bo Domini habet. Mox paucis interjectis plenius  
 respondet sic: Deus donat: per sacramenta donum  
 distribuitur: homo fide accipit. Proinde si per infideli-  
 tatem donum Dei sacramento oblatum respueris, non  
 incommodabis veritati sacramenti, sed tui ipsius salutis.

Atque

Atque hæc transfert deinde ad Cœnam quoq; Domini. Ubi primùm hanc velut regulam ponit, nimirum hoc fundamentum esse, quo nobis constet distributio corporis & sanguinis Christi in Cœna, quòd Cœna verū Sacramentum sit. Sic enim ait: *Porrò quòd verum corpus & sanguis Christi pane & vino Cœna credentibus distribuantur, cogit etiam vera sacramentorum ratio. Nam hæc est vera sacramentorum ratio, quòd non sint pura, vana, & vacua signa, sed quòd veritas signata, per ipsa signa distribuatur. Est enim homo duplex, internus & externus, spiritualis & carnalis. Proinde in sacramento offertur per verbum interno & spirituali homini suum bonum, hoc est, spirituale: externo autem suum, hoc est, externum. Jam spiritualis non exatiatur signis, sed rebus; non impletur umbris, sed veritate. Itaque in sacramento exhibetur non solum externo homini externum signum, sed etiam interno homini res & veritas ipsa; pulchra scilicet dispensatione, ut externus homo habeat externa sua cognata, & spiritualis interna sibi convenientia.*

Atque hæc rursus cum baptismo ad unguem confert, ac inter cætera dicit: *Proinde necessariò consecratiue est, ut baptismo non solum offeratur & detur corpori externa aqua, sed etiam interno homini res & veritas ipsa. Nam vide, quòd conveniret, si baptismus solum signum esset, non item secum possideret signi veritatem? Tunc enim exatiaretur externus tantum homo, interno vacuo dimisso, qui rebus non signis tibi satisfieri vult. Ad eundem modum de cœna Domini differere licebit. Et mox: Proinde ut per verbum ita etiam per Sacramentum fidei offeruntur*



& dantur corpus & sanguis (audi Hofmanne ubique contra te concionantem Brentium) ut habeat externus homo sua externa, panem & vinum: internus verò sua interna & spiritualia, corpus & sanguinem in mysterio donata. Nam ut baptifimus duo habet, aquam & verbum, ita & cœna Dominica duo habet, panem, vinum, & verbum, &c.

Et rursus: OS FIDEI accipit suo etiam sensu corpus & sanguinem: ut corpus in sacramento habeat corporalia signa: & fides spiritualia, hoc est, rem ipsam & veritatem. Proinde ne FIDEI, propter quam Dominus sacramenta dedit, voto non satisfiat, omnino necessarium est, ut per sacramenta non solum vacua signa dentur, sed etiam rerum veritas, qua sola fides contenta sit. Et vide, Hofmanne, declarandi causa quid addat. Jam & Patres, inquit, ante Christum ederunt FIDE CORPUS ET SANGUINEM CHRISTI, non autem per hoc sacramentum, sed per sua: Signa enim pro ratione temporis mutantur, sed veritas signorum & res ipsa semper ab orbe condito distributa est credentibus, nunc per hoc, nunc per aliud medium, prout Domino nostro placuerit. Porro cum satis manifestum fuerit, quòd corpus & sanguis FIDEI nostræ distribuuntur per panem & vinum Cœnæ: videamus nunc, qua ratione panis dicatur esse corpus, & vinum sanguis, non duntaxat significare seu adumbrare. Atque ad hoc ita respondet, Ideò panem dici corpus Christi esse, quia per panem fidei nostræ distribuatur corpus: similiter de vino: deinde cavendam esse talem interpretationem per vocem significat, aut per figuram corporis, qua

quæ adimat signo rem suam, & sacramento suam  
 veritatem: nec admittendum talem tropum, qui à  
 pane & vino auferat corpus & sanguinem, ne spiri-  
 tualis homo in Cæna dominica suis speratis bonis de-  
 fraudetur: Sed TROPO tamen omnino opus esse in  
 expositione: Eum synecdochen quidem vocat,  
 sed ita exponit ut Metalepsi propior videatur:  
 quippe qui panem ideo dici corpus asserat,  
 quod sit medium & instrumentum, quo cor-  
 pus homini fideli, Sacramento utenti à Deo  
 exhibeatur. Id verò Metalepsin sapere, quæ  
 in permutatione causæ & effectus posita est,  
 non potest esse obscurum, cum instrumenta  
 inter causas censeantur. Ita enim addit, *Panis*  
*corpus Christi esse dicitur, non quia SOLUM signi-*  
*ficat, sic enim abesset corpus: sed quia instrumentum*  
*& medium factum est, quo verè & præsentè fidei no-*  
*stra corpus donatur ac distribuitur.* Demum col-  
 latione aliarum sacramentalium locutionum  
 ita hoc concludit: *Sic baptismus est vera & viva*  
*regeneratio, non quia SOLUM veram regenera-*  
*tionem significet, sed quia est instrumentum & me-*  
*dium, quo viva regeneratio nobis exhibetur.* Nam  
 per hanc quoque figuram Genesis 17. *Circumci-*  
*sio non dicitur solum signum fœderis, sed etiam*  
*IPSUM FOEDUS, & PACTUM, propterea*  
*quod per circumcisionem tanquam instrumentum fœ-*  
*dus DEI, semini Abrahæ exhibitum & donatum est.*  
 Et hæcenus quidem Brentius, in cap. 6. Jo-  
 hannis. Quibus adde, quæ in 16. cap. ejusdem  
 Euangelistæ scribit, his verbis: *Proinde, inquit,*  
*cum quis in Cæna querit carnem & sanguinem, idque*

*spiritu fidei; quid aliud querit, quam vitam & remissionem peccatorum? an non hæc sunt spiritualia bona? Atq; hæc quidem bona in cruce per corporis traditionem & sanguinis effusionem impetrata sunt, sed in Cæna dominica verbo & sacramento distribuuntur. Vide Hofmanne, quàm Calvinianè (ut vos loquimini) à Lutherano exposita omnia; quæ ego pro orthodoxis habere me, ecce sine tergiversatione rursus profiteor. Tu verò quid? aqua, scilicet, hic tibi hæret. Nec recipere mecum audes (Calviniano enim dogmati assentiri convincerere) & probare, quæ tuo <sup>negodis</sup> è diametro adversantur, præsertim de ORALI sumptione veri corporis Christi, quam caput actionis legitimæ audes nuncupare: Et damnare etiam disertè veteris, quæ & ex officina hominis inter Lutheranos summi provenere, & ab ipso Luthero quondam non probata solum, sed etiam laudata sunt.*

Aliud etiam hoc loco dico. Brentius cùm ista scriberet ad annum Christi 1526 (tum enim Exegesin edidit) in eos quos evacuare sacramenta & sacramentarios esse rebatur, stilum direxit, & acuit quam maxime, summaque ope pro integritate sacramentorum pugnavit. Itaque haud dubie dixit omnia, quæ citra Ubiquitatem, quam tum nondum profirebatur, ea de re dici posse vir ille intelligebat. Ubi verò seu Lutheri præeuntis autoritate commotus, seu certandi libidine, ne cessisse æmulis videretur, ab hac formula recedere, ac vobiscum loqui cœpit, quo se præcipitârît, non cupiditate  
 novi



novi dogmatis pariendi, sed quod placitum Lutheri & vestrum illud de corporali præsentia & orali sanctione alio modo defendi haud posse satis perspiceret (quod & Lutherum ipsum haud dubie abripuit) non est ignotum. Unde illud ejus memorabile judicium, quod contra vos militat: Qui sibi in dogmate Ubiquitario non assentirentur, hos intus in corde Zwinglianos esse, quicquid etiam ore contra profiterentur. At tu, Hofmanne, Ubiquitatem Brentianā rejicis ac damnas. Ergo aut plus vides, quam ille cui permultum à vestris adeoq; ab ipso Lutherò tributum est: aut aliud loqueris, aliud sentis, quod in antithesibus tibi objecti: aut incertus planè es, ut quod dicere certi possis, non habeas. Quid hic, quaeso, respondes? Si cum Brentio in hac doctrina, quam ex Exegesi recitavi, verè sentis: quid in nos bellum geris, qui idem prorsus hac in parte tecum sentimus? Sin aliter: quomodo defugere potes, quin aut à Luthero prorsum te recedere, qui eo tempore nihil aliud sensit: aut eundem mutasse sententiam suam, ut quod tunc probavit, id postea improbasse dicatur, confiteare? Elige utrum vis, aut tertium aliquod ede: quod quale esse queat, ego non video. Si prius id dices, improbus esse videbere: si posterius, fidei vestræ incertitudinem ipse declarabis.

Sed ad nostra confirmanda, unde non nihil defleximus, revertamur: eaq; quæ restant, expediamus breviter. De altera sacramenti hujus parte in Luca & Paulo, ubi poculum dici-

tur novum testamentum in sanguine, quàm manifestus tropus est? in quo glutiendo mirum ni te strangules Hofinanne. Res enim manifestior est, quàm ut negari possit. Dubia autem per manifesta explicari, non autem manifesta per dubia intricari, id est, priora illa de pane, per hæc de poculo: non ratione inversa, hæc per ista exponi debent. Unde conficitur, & priora illa tropicè accipienda esse.

Et Christus ipse, optimus nimirum sui interpretes, quàm dilucide se explicat? primum in ipsa statim institutionis formula, cum jubet in memoriam aut commemorationem sui edere & bibere, quod corporalis absentia ejus, qui *μνησθων* hoc discessurus ac terras relicturus instituit, argumentum est maximum: unde panem & poculum *επιμνηματα*, ac totum ritum hunc sacrum *ἀνάμνησιν τῆς χριστιανικῆς* Ecclesia solet appellare: Deinde apud Iohannem cap. 6. omnium dilucidissimè, ubi & mysticum, id est, spirituales sensum verborum suorum demonstrat, & omni cogitationi de corporali presentia ac orali esu carnis suæ ascensum suum in cælum opponit, ut pulcherrime præter ceteros patres nos docent Athanasius & Augustinus. Hanc vero Christi concionem (ut etiam patrum iudicium non nos juvet) quis omnino tam attonitus est, qui si velit, videre nequeat, ex ipsa verborum congruentia, ad mysterium cœnæ pertinere. Dicit enim: *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Item, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: Qui*

edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Et quam aliam ob causam quisquam dicet, Johannem institutionis historiam, quam ceteri Evangelistæ recitant, silentio præterisse, quàm quòd isto loco mysterii vim à Christo explicatam patefecerit? Quod sanè Augustinus se sensisse perspicuis verbis nos docet, lib. 3. de consensu Evangelistarum, cum scribit: *Johannes autem de corpore & sanguine Domini hoc loco nihil dicit. Sed plane alibi multo uberius hinc Dominum locutum esse testatur.* Augustini autem vox, vox Ecclesiæ ejus temporis esse putanda est.

Paulus verò etiam in epistola ad Cor. I. à literalis sensu ac *συνοία* nostranos repellit, quem interpretem qua fronte rejicietis? Ita enim ait: *Quotiescumq; ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, DONEC VENIAT.* Hic ex te quæro, Hofmanne, quare dicat Apostolus, *Ederitis panem hunc, & biberitis poculum hoc*, ac non potius, *Corpus hoc, & sanguinem hunc*: quod sanè placiti vestri ratio requirebat, ut complexum totum à potiore, non à viliore parte dominaretur. Si respòdes; ut Pontificiis transubstantiatoribus occurreret; ego solida ratione tibi regero, nò solum ut illis, sed etiam vobis errandi occasionè adimeret. Nam ut accidentia panis illi relinquunt, quibus corpus Christi regatur, quæq; figurate nomè corporis suscipiat; ita vos eidè corpori realiter & corporaliter præsentem essentiã panis simili modo pro regumèto additis, sub quo corp<sup>9</sup> ipsum realiter



manibus externis teneatur, & ore corporis acceptum comedatur: Et ut ingenue vestrum omnium nomine Selneccerus explicuit, *ita corpus & panem jungitis, ut panis accidentia, re vera fiant accidentia corporis, suis propriis accidentibus exuti.* Id verò à Papistarum transelementatione ac nugis de accidentibus quantum abest? Itaque ut ii etiam figurate panem dici pro accidentibus panis à Paulo tuendi sui causa ajunt; ita vos panem pro corpore poni simili figura, contorta interpretandi ratione, dicere necesse habetis. At verò Apostolus contra utrosque vos, quid secundum esse, ac proprie, sit id quod Christus in mysterio corpus suum dixit, ac edi jussit, id est, quæ essentia manu & ore corporis sumeretur ac manducaretur, ostendere Ecclesiæ, ac mysticam locutionem locutione propria explanare voluit: ne quis forte ex solius mysticæ aut figuratæ usu errandi occasionem haberet. Quæ de re ad omnium sanorum iudicium provoco. Atque hinc porro argumentum contra sensum illum tuum proprium ac literalem, Hofmanne, hujusmodi infero.

Quod Paulus dixit, interpretans verba Christi, esse id, quod editur, externo nimirum ore, ad *αιδιον* mortis domini, hoc re vera & proprie etiam est Sed Paulus id dicit esse panem, & non corpus Christi. Ergo verè & proprie id nihil quoq; aliud est, quam panis, qui est *αιδιον* corporis Christi: Ac per consequens falsum est, quod tu persuasum nobis vis, idem proprie ac sine figura esse ipsummet corpus natu-

naturale Domini, peritq; cū sensu literali tua illa commentitia panis & corporis *συνθεσία*. Eodem pertinent, atq; amplius superiora confirmant, quæ mox eodem loco ab Apostolo penè *ἐμπατισώτετα*, velut inculcandi gratia, subjiciuntur: *Quisquis ederit panem hunc, aut biberit hoc poculum Domini indignè, reus tenebitur corporis & sanguinis Domini.* Non ait: *Quid ederit corpus aut biberit sanguinem, quod vos vultis:* Sed, *Qui panem hunc ederit, & poculum hoc biberit* (intellige sanctificata in sacrum usum) *is reus erit corporis & sanguinis.* Ut si quis dicat, *Qui imaginem principis solenni loco positam contumelia affecterit, reus erit læsæ majestatis ipsius.* Et rursus: *Probet autem unusquisq; seipsum, & ita de PANE illo edat, & de POCULO illo bibat.*

Deinde eadem illa primùm recitata Apostoli verba, non oralem comestionem corporis Christi, aut essentiæ ejus, sed commemorationem, aut annunciationem mortis dominicæ, finem instituti mysterii nobis monstrant. Quod cū probe intelligeret Ecclesia vetus ac expenderet: sacra illa symbola, non essentiam corporis, sed *καρμνηματα τοῦ θ̄ου τοῦ χ̄ρισ̄οῦ κατελεμμένα ἡμῖν* in solenni ceremonia vocavit, hæc nimirum Apostoli atq; ipsius Christi verba interpretans. Quod rursus tuum *ἄδωξον* profus evertit.

Longiùs vero etiam argumentum hoc promoveret & confirmat, id quod mox ab Apostolo additur, *Annunciabitis mortem Domini DONEC VENIAT.* Quid enim clarius, quàm hinc

sequi, corporaliter Christum jam à nobis abesse? quod tanto studio ubique patres inculcaverunt. Nam si veniet: sanè nondum venit aut adest: aut si jam adest, manifestum est ex verbis Apostoli, mysterii hujus usum cessare oportere. Sed mysterii usus nondum cessat in Ecclesia: Ergo adhuc veniet, ac proinde corporaliter nondum adest: quod tu Hofmanne asseris. Quo spectat quoque illud quod ad Coloss. inquit Apostolus, *In cælo supernè esse jam Christum: illic eum querendum, non in terra deorsum.*

Præterea panem benedictum idem Paulus annon vocat *κοινωνίαν* corporis Domini? Id vero quid est, nisi esse symbolum vel medium ac instrumentum faciendæ nostræ cum Christi corpore communionis? Quod si tu inficias ibis, ac idem esse dices, quod distributum corpus, vide quid facies. Τὸ κοινωνεῖν enim & τὸ μετέχειν promiscuè eodem loco à Paulo accipiuntur: τὸ μετέχειν autem sine controversia relativè oppositum est vocabulo distribuere: Relativè autem opposita confundi nullo modo possunt. Deinde Paulus cùm Israëlitas *κοινωνὸς τῆς θυσίας* εἴς, & idololatræ *κοινωνὸς τῆς δαίμωνιον* vocat, quo sensu vocem hanc accipiat, satis ostendit. Unde conficitur, ne distributionem quidem corporis dici posse *τὸ σῶμα τῆς κοινωνίας*, nedum corpus distributum. Figura ergo in verbis Pauli aut *μετάληψις* aut *μετωνομία*: quod tibi est adversum. Sed ne excipias, *κοινωνίαν* ἢ *μετοχὴν* astruere potius, quàm adimere pani coëssentiam corporis; agè & hoc



hoc quoq; quanquam satis jam declaratum est, tamen ne qua suspicio resideat, ulterius ex verbis Pauli discutiamus, mentemque ejus investigemus. Quid ergo præterea ad rem pertinens dicit? Cùm priora illa de communione enuncjavit, mox subjicit explicandi causa: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus: nam omnes inius panis sumus participes.* Perinde ac si dicat, Sic omnino nos per participationē panis illius benedicti uniri corpori CHRISTI, quemadmodum per eandem nos quoq; iidem inter nos in unum velut corpus coalecimus. At ea confociatio aut unio fidelium inter se, corporalis utique non est, sed spiritualis; nec comestione corporis Christi, sed panis unius sanciri ab Apostolo dicitur. Quod pulchrè observasse Augustinum, jam antè ostendi, & ex his sensum verborum Christi catechumenis explicuisse. Ad hæc *κοινωνία* hanc, quæ panis benedicti sumptione sancitur, evidentius etiam declarat *ἀντίθεσις* illa mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum, quam statim atexit Apostolus, atq; ita usurpat, ut à CHRISTI mensa & ejus participatione, ad mensam & participationem dæmoniorum, velut certum & validum ob similem rationem ducat argumentum. In coverò *μετέχοντας τῆς τραπίνης δαίμωντων*, id est, eorum quæ dæmoniis sacrificata sunt, vocat *κοινωνὸς τῆς δαίμωντων*, iisque opponit *μετέχοντας τῆς χριστοῦ τραπίνης*. Qualis ergo *κοινωνία* illic, talis etiam hic. At illic certè non est corporalis aut *ὁσιώδης*

quemadmodum nec idolothytorum ac demonum *συνεία* ulla. Quare ne hic quidem. Et quid ad hæc habes, Hofmanne? Si nihil habes: cur contra conscientiam adhuc in retinendo dogmate tuo pertinax persistis? Nam ad interpretationem Paulinam à nobis allatam *πρόσεως* quod attinet, non existimo eam te criminari audere: cum non nostra sit, sed & Lutherum & orthodoxos patres autores præferat, quibus tu quomodo derogabis? Demum cum veteribus sacramentis nostra conferens idem Apostolus, imò his illa exæquans, quod argumenti suscepti ratio cap. 10. postulat: quid de tota re statuat, satis apertè declarat. Taceo quòd phrasim Judaicorum mysteriorum, ac imprimis illius, cui mysterium hoc surrogatum, & quidem in ipsa illius celebratione surrogatum à Domino, quæ notissima erat Apostolis, non dubium relinquat, quomodo hæc cœnalis sit accipienda. Alioquin quantum stuporis ex tanto tanquàm incredibile *μαγδοξία* cepissent Apostoli? quomodo vel inter se attoniti quæssissent, vel Dominum admirabundi aut hæsitantes essent percontati? quippe qui minoribus etiam in rebus hærare animo, & curiosum illud **Q U O M O D O** interponere solebant.

*Transitio ad  
argumentum  
ab analogia  
fidei ductum.*

Cætera volens omitto, tandemq; ad argumentum illud maximū à fidei analogia ductū, collocatum quidem à me in antithesibus loco primo, à te vero consultò in finem tua in apologia rejectū, nunc accedo. Quod sanè tale est,  
ut

ut si nihil aliud contra *Curator* vestram sensumque literalem suppetat: vel solum tamen omnem tuam disputationem sophismatis suffarcinatam, facile elidere possit. Sed quia id in antithesibus prolixius est expositum, statq; idem adhuc ab insultibus tuis invictum: non necesse habeo pluribus id ipsum hic quoq; repetere, iisdemq; sæpius iterandis chartas complere. Quinimò, quod ad rem attinet, ac ad vanitatem causæ tuæ convincendam, sufficere posse arbitror; si ad ea, quæ illic centum duabus thesibus dicta à me sunt, quæque item à te tergiversandi causâ is opposita, candidum lectorem remittam. Nihil enim clarius esse potest, quàm quod ex utrorumque lectione se prodit, te istam aquam tētasse quidem, sed nantem ac fluctuantem huc illuc, vadum quod quærebas invenire non potuisse. Sequererq; omnino hoc consilium, nisi vererer, inter tuos stolidè te jactaturum more tuo, ita te mihi occurrisse hac in parte, ut convictus & constrictus, quod dicere possim deinceps, non reperirem. Itaque eo posthabito, quod optimum factu reor, brevem in summam contracta quæ fusiùs in antithesibus exposita sunt, decrevi denuò ob oculos primùm tibi ponere, deinde tergiversationes tuas nescio improbas ne magis an ineptas, non tã examini dare, quo non opus habent, quàm lectoribus é nebulis erutas ac luci redditas commonstrare. Quod priusquam facere aggrediar, pauca quædam præmittēda sunt, ad rem tamé maximè pertinētia.



*Responsio ad  
quendam ob-  
iecta Hof-  
manni.*

Theſi mea quinta objeceram, ſi crederet ipſe ex animo, quod dicere videretur: Marcionem, Eutychem, alioſq; hæreticos eum nobis referre, ac ſæpe damnatum dogma, tacitum inſtaurare, ac animo amplecti, quamvis id vobis videri nolle, ac etiam contrâ proteſtaretur. Hoc calumniæ obnoxium putans me accuſat, quod falſo Marcionis & Eutychetis dogma ſibi imputem, quibuſcum nihil ſimile habeat, cum prior eorum phantaſma corporis Chriſto assignarit, alter ab incarnatione, una ſolum natura in mediatore agnita, ne carnis quidem appellationem in eo admiferit: ipſe verò non phantaſma, ſed corpus; non unam, ſed duas in Chriſto naturas confiteatur. Egregia ſanè ratio, ad tantum crimen amovendum, ad quam ipſa pro ſe theſis reſpondeat. Etenim, Hofmannè, ea non dicit, nec dicere vult, te phantaſma cum Marcione, aut carnis negationem cum Eutychete verbis confiteri, vel dogmatum horum invidioſorum deſenſionem in profeſſo habere (quis enim te in ſocietate Chriſtiana ferret, ſi eò audaciæ progredere-re?) ſed ita te loqui, dum doctrinam de Cœna explicas, ut ſi vere hoc ſentias, quod verba dicere videntur, Marcionis phantaſma & Eutychetis delirium inde recta ratione ſequi neceſſe ſit, quicquid etiam ad declinandam invidiam infamium hæreſeon, verbis contrâ proteſteris.

Id verò quàm vere à me dictum ſit, cum tu id, quod corporis Chriſti nomine afficis, inſenſibile,

*An Euty-  
chianiſm ar-  
guit Hofman-  
nus poſſit:  
quem verbis  
ad ſpeciem  
abnegat, re-  
tinet.*

sensible, incircumscriptum, non quantum, si-  
 ne partibus per infinita loca, per cœlum ac ter-  
 ram pariter se porrigere, omnium visum & ta-  
 ctum fugere, in quorum medio est, affirmas:  
 non iniquus aut rerum imperitus lector judi-  
 cet. Quid vero refert, Hofmâne, corpus Chri-  
 sti, quò infantiam vites, palàm te verbis, cum  
 res postulat, agnoscere, re autem ipsa cum Eu-  
 tychete aut Marcione tollere? An ignoras. Eu-  
 tychetis discipulos, cum ferre invidiam abne-  
 gatae humanæ naturæ in Christo diutius non  
 possent, folium vertisse, & verbo quidem cor-  
 poris confessionem aliquatenus admisisse: ea  
 tamen dixisse, quæ ad corporis ac humanæ na-  
 turæ destructionem haud dubiè pertinerent?  
 permiscuisse nimirum proprietates naturales,  
 confudisse voluntates, unde tandem ad confu-  
 sam permixtamque ex duabus unam naturam,  
 atque ita peremptionem naturæ corporeæ aut  
 humanæ necessariò veniretur.

Nec quicquam studiosius contra has corru-  
 ptelas insidiosas curasse Ecclesiã orthodoxam,  
 quam ut cum distinctione naturarũ ac veritate  
 integra, distinctas etiã retineret earundè pro-  
 prietates, sine quibus veritatè quoque illarũ retineri  
 nõ posse intelligebat. Nunquã illa, inquit, existima-  
 bat, satis sibi cavisse ab insidiis hæreticorũ, nisi,  
 propter confessionè veritatis naturarũ etiã propri-  
 etatũ, sine quibus veritas earũ nõ cõsisteret, con-  
 fessionem planam ac integram custodivisset.  
 Unde sunt illa Augustini: *Non confundo (nimirũ  
 proprietates) ne aut incorpoream, aut imaginariam*

*carnem: aut carnalem aut mortalem predicem deitatem. Contra Felicem Arianum. Item illa apud Damasc. Naturarum substantialem differentiam asstruimus salvari. Nam creatum manet creatum, circumscriptum manet circumscriptum, & incircumscriptum incircumscriptum, visibile visibile, invisibile invisibile, &c. lib. 3. cap. 3. Et illa Synodi VI. OEcumenicæ, Unamquamque in Christo naturam proprietatem naturalem habere confitemur, & habere divinam omnia, que divina sunt, & humanam omnia, que humana sunt absq<sup>ue</sup> peccato. In Epist. Synodali Agathonis Episcopi Rom. quæ pro norma confessionis à Synodo recepta est. Similiaque sunt in Sophronii Episc. Hierosolym. Epistola Synodica, ibidem approbata. Clariora etiam Synodi Lateranensis, Romæ præside Martino I. celebratæ contra Eutychianos ac Monotheletas, verba illa: Si quis non confitetur secundum S. patres, propriè & verè naturales proprietates deitatis Christi, & humanitatis indiminité in eo, & sine defectione salvatas, in affirmationem veracem eundem ipsum Deum perfectum & hominem perfectum secundum naturam existere, sit condemnatus. cap. 9. Unde denique regula hæc Synodica nunquam hactenus in dubium vocata, & celebrata etiam à Luthero: Qui tollit proprietates naturales, tollit ipsas naturas. Quæ quanto pere à novo tuo paradoxo de naturis extra proprietates consistentibus dissentiant, in sequentibus patefaciemus. Et quomodo tu me de injuria tibi hac in re facta coargues, aut juste de me queri poteris? An verò purgatio tibi idonea*



idonea videtur, ob odium aut periculum imminens, verbo crimen negare, in re tamen interim ipsa hærere? In qua sententia si es, nã tibi Cyrillus summa injuria affecissẽ Nestorium diceretur, qui eum ex Ecclesia ejecerit, propterea quòd re duos Christos ponebat, id est, ea docebat, ex quibus duo Christi conficiebantur, verbo tamen negabat. quod & acta Synodi Ephesinæ, & imprimis ipsius Cyrilli charta communitoria Eulogio data diserte declarant. Athanasius quoque & cæteri patres orthodoxi injurii fuerint in Arium hæreseos gravissima condemnatum, qui τὸν λόγον Deum esse verbo fatebatur, re abnegabat.

Tu ipse, Hofmanne, quàm iniquus tuomet judicio in Jacobum Andreæ videbere, qui illum Eutychnianismi accusas in libello tuo contra eum edito, cùm ille ejus hæreseos nomen agnoscere, non minus quàm tu, detrectaret? easdem etiam, quas tu, tergiversandi causas præferret? Vide quãso quò te contendendi libido ac pertinacia pertrahat? quàm te cæcum reddat? Tu me criminaris, quod Eutychnianismi te insimulem, cum tu corpus Christi, cujus nomen Eutyches non recipiebat, claris verbis confiteare: Te verò rectè facere existimas, quòd Jacobum Andreæ ejusdem hæreseos reum facis, qui non minus, quàm tu, corporis Christi confessionem se retinere, veritatemque ejus cum catholica Ecclesia tueri, prolixè, quoad vixit, contestabatur.

Quid igitur dicis? an non ipse facto tuo de-

monstras, Eutychianum esse posse, qui tamen rotundis verbis, Christum corpus verum non habere, non dicit? & aliud etiam esse ejus sectę dogma, quàm quod tu in hac tua contra me apologia commemoras? Et quo tu argumento contra Jacobum Andreae uteris? an non eo, quod ea dicit, quę veritatem corporis verę humani tollunt? aut confusionem naturarum inducunt? An quid aliud contra te à nobis dicitur? Tuo igitur judicio absolvimur, Hofmannie: tu verò eodem ore tuo, si ejusmodi, quę veri corporis humani ac nobis substantialis definitionem tollunt, dicere & docere convictus fueris, condemnaris.

*De proprietatibus criminatio  
Hofmanni  
inepta.*

Aliud deinde, antequam de ro dicere incipis, mihi impropereas, quod visibile & tractabile esse, proprietates essentialibus vocem, & à reliquis velut non essentialibus, quales sunt, circumscriptio, localitas, quantitas, distinguam. An verò te calumnie tanturpidæ non pudet? Quę sunt ea verba, unde tu hoc conficis? Thesin citas 15, & item 20. Age eas videamus, ut te finxisse ista aut turpiter calumniatum esse convincant. Præterea, inquit Thes. 15. quod corpus illud essentialiter præsens in infinitis locis simul sit invisibile, intractabile, extra partes, id est, extra proprietates omnes, & definitionem ipsam corporis. Et 19. quam tu omittis: Alterum (nimirum ex philosopho) corpus Christi illocale, indimensum, incircumscriptum, in innumeris simul locis longè intervallo disjunctis præsens omnino ponit, realiter & præsentia

præsentia quadam absoluta, extra *νοῦν* cum homine. Deinde 20. Tertium tollit a corpore Christi reliquas proprietates essentielles corporis, non quas humana ratio constituit, sed quas ipse Christus tanquam veras corporis notas, quibus a spiritu differt, corpori suo etiam a resurrectione assignavit, atque ita loco corporis, sublata ejus definitione, spiritum reponit, aut *ἐπινοῦν*. Ponit enim corpus Christi, quod videri & tangi non potest, imò quod nec carnem, nec ossa habet. E quibus si id conficitur omnino, quod nugatur Hofmannus, præsertim si reliquæ etiam Theses de proprietatibus loquentes aspiciantur, errasse me confitebor: si non conficitur, ille, cum in re deficeret, *διαβολῶν* quæsisse, spiritumque prodidisse suum, convincetur.

Ego, Hofmanne, ne quid prætexere deinceps possis, proprietates illas, quas in thesibus recensui, promiscue accepi & accipio, & omnes simul jam proprias notas corporis, jam *ἰδιόματα*, jam proprietates naturæ, jam naturales, jam essentielles nuncupo, hisque nominibus eas afficio, exemplo tum patrum, tum recentiorum doctorum, etiam eorum, quos tu tuos agnoscis, propterea quòd naturas arguant, ac inter se verè distinguant. Quæ si tibi carpere ac calumniari libet, per me sane tibi integrum est; dummodo constet, quicquid dices, id non tam ad me, quàm ad cæteros in Ecclesia doctores, qui idem meum fecerunt, pertinere.



Verum longius etiam progredieris reprehendendilibidine. Nam essentielles proprietates argutando ita nobis describis, ut nullaejus generis ad corpus pertinens aut dari a quoquam, aut nominari possit, propterea quod nullius hominis perspicacia ad essentielles formas rerum penetret, atque ita in errore manifesto haereant, quotquot haecenus ante re-essenciales proprietates corporis appellarunt, in quorum numero Damascenus, tuus etiam Chemnitius, ipsiq; adeo caeteri autores formulae cordiae vestrae esse deprehenduntur. Ita te calumniandi aetius passim abripit, ut dummodo nobis contradicas, in omnes sine discrimine feratis.

Quo loco lector observet, quam evidenter hic verum appareat, quod dici solet, *sermonem mendacii varium ac multiplicem esse*. Nam fuit quodam tempus, cum ii, qui corporalem praesentiam tutati sunt, non negarent haec esse *idiotum* essentialia, sed dicerent, adventitias & communicatis idiomatis contrariis divinitatis velut cedere ex gratia unionis. Nonnulli ad glorificationem, alii vero ad potentiam Dei id transferunt. Inventus demum est Hofmannus, qui essentielles esse has proprietates novo commento negaret, assereretque ejusmodi tantum notas esse accidentarias, quae indifferenter in corpore esse, vel non esse possint.

Calumniis discussis ad alia veniamus. Et primum quidem, quoniam res requirit, hoc loco denuo Hofmannum solenniter rogamus obtesta-

obtestamurque, ne ignominiam aut injuriam suam putet, si Ecclesie veteris judicium constans & grave, si Synodorum autoritate ipsius judicio & autoritati, quod nobis certo faciendum est, anteferamus: patiaturq; æquo animo, si ab ipso dissentiamus, qui patrum orthodoxorum argumenta, quib. hereses represserunt, leviora esse, necessitatemq; consequentie non habere, huius quanta turgens præsumptione arbitratur: qui fundamenta vetera movere, probationes à naturis ad proprietates, à proprietatibus ad naturas pro indubitatis semper usurpatas hæcenus, jam demum convellere, id est plerosq; hereticos absolvere, & patres inscitie condemnare, sibi licere existimat: qui denique Christum ipsum non solido argumento usum esse, ad confirmandos titubantes apostolos, cum dixit, *Videte & palpate, quoniam spiritus carnis & ossa non habet, sicut me videtis habere: charitatis illinere, atq; eo ipso suum acumen vendicare non veretur.*

Deinde & hoc ab eo petimus, ut nobis ignoscat, quod tanti ejus autoritatem facere non possimus, ut solis dictatis ejus, ut quondam Pythagoræi verbis præceptoris sui, sine ratione acquiescere non audeamus, & aliquantopulus legibus bonæ consequentiæ, quam simplicibus affirmatis ipsius tribuamus, adeoq; in non nullo usu *ἡξιώματα* Dialectica in nostris disquisitionibus quod ipsi adversum est, residere patiamur.

Id verò imprimis condonet, quod divini at-

que humani iudicii regulam immotam & perpetuam de contradictione, in ipsius gratiam, quo saluum ipsi, constet *Quæritur* dogma, projicere erubescamus, id est, *ITA & NON* de eadem re simul vera esse cum ipso dicere tergi-  
versemur.

Postremó non indignetur, quód œconomiam fidei evertere, potissimos ejus articulos summa cum cura, nec sine gravissimo certamine ab Ecclesia veteri nobis expositos temeré posthabere, plurima scripturæ loca in alienum sensum trahere, ut Sacramentario paradoxo temere in sacras literas illato nihil deccadat, reculemus.

Æqua hæc, nisi me meum iudicium fallat, ab illo quæ postulamus: Nec iniquiora alia quæ his addimus: ut pace ipsius cum Augustino credere nobis liceat, Sacraméta Christianæ religionis honoranda esse, sed *MIRACULOSA NON ESSE*, uel, ut ipsius illius patris verbis id dicam, honorem tanquam religiosa habere posse, *STUPOREM TANQUAM MIRA NON POSSE*, atque ideo cum miraculis non esse conferenda: Deinde & corpus Christi esse verum hominis corpus, carnem & ossa vere habens, nostris corporibus consubstantiale, non nebulas, aut aëream aliquam essentiam tenuissimam per incerta & infinita spacia se porrigentem. Præterea idem corpus tale esse in Sacramento, quale est in cælo, imo quale pependit in cruce, ac datum est pro mundi



mundi vita; verumque esse, quod gloriantur patres, orthodoxam confessionem de veritate corporis humani in Christo consentire cum Eucharistia, & Eucharistiam vicissim cum eadem confessione convenire: Postremò a posse ad inesse absurdissima esse argumenta, & pessime facere, qui à Dei potentia infinita sine certa voluntate ejusdem, aut verbo rectè intellecto, quidlibet inferre, quod in mentem venit, conantur: nec ulli omnino hæretico os occludi posse, si talis consequentia apud nos locum inveniat. Quæ omnia si, ut æquum est, Hofmannus nobis concesserit: profecto quid ei spei reliquum esse deinceps, ubi pedem figere possit, non intelligimus. Quod ut conspicuum lectori etiam fiat, age jam tandem argumentum nostrum, ac aliis ei oppositas tergiversationes exponamus.

Et nostri quidem argumenti hæc summa fuit.

Nullas interpretationes recipiendas esse (ex præcepto Apostoli, ac regulis perpetuis patrum) quæ aberrant ab analogia fidei: nec quicquam omnino absurdius aut alienius esse, quam Sacramentorum potissimum expositiones, quæ fidei confirmandæ causa instituta sunt à Christo, ejusmodi in doctrinam Christianam ingerere, quæ ab articulis ejusdem fidei dissentiant.

*Sic Heibstus, & cum eo hic, yse Hofmannus in Colloquio Zuedelli. contra Vbi-quitatem disputantes, fol. 4. Quod igitur contra alios usurpant velut certum, quomodo ideam plane ratione contraria se usurpatum recusare possunt?*

*Argumentum ab analogia fidei, Hofmanni dogmatis ingulum petent.*

Esse veró inter primos articulos, quos sine hæ-  
 sitatione amplecti omnes Christiani debent,  
 vt credamus, Dominum nostrum, quemadmo-  
 dum reliquam hominis totam naturam, ita et-  
 iam corpus verum habere, nostris corporibus  
 cognatum & consubstantiale, eandem cum  
 his definitionem suscipiens, non nomine re-  
 nus, sed re ipsa: Ideoq; hoc ipsum Domini cor-  
 pus, ut habet definitio Ecclesiastica ex funda-  
 mento sacrarum literarum extracta, iisdem  
 contineri naturalibus proprietatibus, quibus  
 corpora nostra, easque veré possidere: ac pro-  
 inde esse visibile, contrectabile, finitum, quan-  
 tum, circumscriptum, locale, in partibus con-  
 sistens, non potentia, sed actu, id est, non quod  
 tale per naturam esse poterat, aut ordine natu-  
 ræ esse debebat, sed, quod tale omnino est: Nec  
 posse, iis demtis, corporis veritatem retine-  
 ri, attestante vetere Ecclesia & argumenta ve-  
 lut infallibilia contra Marcionitas, Manichæ-  
 os, Eutychianos, Monotheletas, Acephalos  
 hinc ducente, ponenteque hoc *ἡ ἐξ ἑαυτῆς, Subla-  
 tis proprietatibus naturalibus tolli naturas*: atque  
 hæc adeo certa habita esse, ut hæreticus ex Ec-  
 clesia ejiceretur, qui ea in dubitum revocaret.

Deinde disputationes Hofmanni sacra-  
 mentarias, si modó ita sentiret, ut loqueretur,  
 ponere corpus hoc idem Christi realiter & se-  
 cundum ipsammet substantiam, in pane, infi-  
 nitis in locis & immenso intervallo diffitis si-  
 mul præsens, invisibile, impalpabile, incir-  
 cumscriptum, non quantum, non consistens  
 in par-

in partibus, denique extra proprietates naturales, extraque definitionem veri corporis humani, & hoc actu quoque ipso, non solum potentia aut imaginatione quadam nostra. Atqui hæc contradictionem omnium evidentissimam & certissimam cum prioribus implicare. Nam & corpus accipi unum & idem in subjecto, & in prædicatis utrobique actum, ut dixi, intelligi, & tempus quoque non diversum, sed verè idem poni, denique omnem respectum diversum, qui contradictionem enervare possit, prorsus abesse: Contradictoria verò nunquam simul vera esse posse. Quapropter cum articulus fidei indubitatus sit, ut ne adversarii quidem negare audeant: necesse esse alteram partem, quæ in quæstione posita est, esse falsam, atque ita falsam, ut in disquisitionem amplius apud non præfractos venire non debeat. Si quis secus sentiat, eum divini atque humani iudicii regulam immotam & perpetuam convellere, ac verè *ἑρμαχῆν*: id enim tantundem valere, ac si quis dicat album esse nigrum, & nigrum esse album, bonum & malum, calidum & frigidum, tenebras & lucem vere esse unum & idem. Aut ab hoc crimine impietatis litigandi cum Deo si Hofmannus vindicare se purgatūve esse velit, ac suum tamen dogma sacramentarium missum facere recuset; necessariò eum in hæresin Eutyrianam vel invitū decidere. Nul- lum enim hic esse quartum, quò se recipere possit.

Aut, inquam, orthodoxæ confes-



fioni de corpore servatoris nostri renunciare, aut posthabita lege contradictionis *διεμαχέειν*, aut placitum suum *περὶ ζωστας* abdicare illum oportere. Sic ferè nos planè & simpliciter, nec, ut confido, invalide, ad id quod propositum nobis erat asserendum. Quid verò ad ista noster Hofmannus? Quæso actor, attende, & quid fiducia actor iste in causa habeat, vel hinc conjecturam cape.

*Simplex veritatis oratio est.*

Ἀπλῆς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἐστίν,  
 καὶ σοικίλων δέ τ' αὖ δίχ' ἐρμηνευμάτων.  
 Ἐχθρὰ γὰρ αὐτῶς κερδόν. ὁ δ' ἄδικος λόγος  
 Νοσῶν ἐν ἀλλῷ, φαρμάκων δέ ται σοφῶν.

Inquit sapiens tragicus: Et rectè sane. Veritas enim recta & simplex, ac lucis amica est, firmaque ac in se satis præsidii habens. Quapropter oportebat Hofmannum, si conscius sibi veritatis in causa sua erat, simplicibus ac appetitis rationibus armatum loco plano & conspicuo se ostendere, & recto gradu pedem pedis conferentem pugnae fortunam experiri. Sed ille vim veritatis metuens, calumniam primum capessit, eaque me protelare & conficere nititur: deinde sepiam imitatus, ubi pressuram sentit, tantas circum se tenebras obscurissimo sermone fundit consultò, ut ubi ster, quò iectus dirigat, quid sibi velit, haud facile etiam à perspicacissimo videri queat, idque cum passim in hac parte, tum imprimis eo loco, ubi per

per speciem prætextus diversi contradictionis plagam, qua circumdatum se intelligit, evadere conatur. Quis enim ea perspiciat, quæ de evagante actu, de diversitate respectus ejus, quo veritas corporis & essentia constat, & alterius, quo veritas describitur qualitatis, quantitatis, aliorumq; accidentiũ in corpore hærentium, item de contradictoriis hujusmodi quæ ad firmamenta potius quàm firmamenta conveniunt, pagina penultima & antepenultima, denique de veritate corporis & de iis quæ ad ipsam veritatem obscurissimè, velut é Schola Heracliti *ἢ οὐκ ἔστιν* prodiens differit? Ea, inquam, quis capiat? quis sensum eius abstrusissimum assequatur? Me quidem in his pro ingenii mei tarditate deficere libenter agnosco. Postremò ubi confligendum erat, illic in fugam se conjicit. Age ipsum audiamus; & primùm quidem argumentum illud meum paulò antè à me recitatum, ex ingenio suo repetentem, aut pervertentem potius, ut animi ejus candor vel hinc se prodatur.

*Omne corpus verum tam necessariò est locale, in uno tantùm loco, dimensum, circumscriptum, visibile, palpabile, ut ne quidem omnipotentia Dei diversum velle, aut præstare possit.*

*Idem argumentum ab Hofmanno malitiosè depravatum.*

Hofmannus corpus sine istis notis & proprietatibus docet, dum corpus Christi in Cæna realiter, & quidem in omnibus illis locis, in quibus panis & vinum benedicta, simul & semel porriguntur sumentibus, præsens tradit, quod tamen nec videtur, nec palpatur: itaque facit corpus illocale, indimensum, incircumscriptum, in pluribus locis simul invisibile & impalpabile.

Ergo corpus id negat verum.

Hæcine verba tua non sunt, Hofmannene, quæ mihi affingis? Sanè negare non potes. Ego vero ad hæc respondeo, & coram omnibus, qui hæc lecturi sunt, protestor, non recusare me, quin omnibus probris convitiisque, quæ in me maledicus tuus animus egescit, vel maxime dignus esse videar, si tu aut verba illa, aut sententiam, de potentia DEI, quam in propositione priore exprimis, in meis antithesibus possis demonstrare: Nec solum hoc te conari, si qua tibi fiducia est, æquo animo patiar, sed etiam, ut ita facias, ultro te hortor, ac in id certamen provo-  
co. Quod sanè facere non ausim, nisi optime mihi conscius sim, ita & verba & sententiam scripti mei prioris habere, ut ad te confundendum, ac turpissimæ calumniæ coar-  
guendum, velut consulto comparata esse videri possint. Hoc enim quasi inculcant  
Theses, à LXII. ad LXXX, quæ solæ de potentia DEI loquuntur; non quid Deus possit, cuius potentia sanè sit immensa, sed quid velit,  
inter

Hofmanni  
manifesta  
calumnia.



inter nos controverti, fateriq; nos, posse omnia quæ ve-  
 lit, eaq; effecta dare: Quæ verò nolit, ea nec fieri un-  
 quam, nec fieri quoq; posse: Voluntatem namq; Dei esse  
 solam potentia ejus velut quendam terminum: ideoz;  
 non licere, quod vobis in more sit, ex infinita ejus po-  
 tentia quilibet inferre, nisi de voluntate antè constet,  
 cum absurdior apud Dialecticos nulla consequentia ha-  
 beatur, quàm quæ à posse ad inesse procedit. Num  
 quid horum negare potes? nunquid hæc ca-  
 lumniam tuam aperire, & iis, qui videri vo-  
 lunt, ostendere agnoscis? Sed tamen quo evi-  
 dentiora omnia fiant, thesin LXXIX. quam tu  
 è reliquis delectam, quo calumniæ tuæ fidem  
 facias, potissimum adducis, aspiciamus. Ita  
 enim dicis, *Neg; hic per omnipotentiam Dei ullam  
 exceptionem admittit thesi LXXIX.* Hinc ergo majore  
 rem talem conficiamus: ac deinde Propositionem  
 attexis, qualis recitata jam est. Hæc verò thesis  
 LXXIX. cum in antecedentibus dictum esset, si  
 quis phanaticus ex eo, quod scriptum sit, pe-  
 tra erat Christus, astruere conetur, prædica-  
 tionem eam esse propriam, atq; ita Christum  
 verè ac propriè fuisse saxum materiale, tuq; id  
 recuses propterea, quòd absurditas ei insit, ac  
 contradictionem implicet, cum indubitatis fi-  
 dei nostræ articulis: atque is vicissim tibi re-  
 sponset, manifestum esse verbum Dei, & De-  
 um, qui dixit, omnipotentem esse, ut possit  
 utrumq; quod dixit, simul præstare, etiamsi id  
 nobis fieri non posse videatur, ita subjungit:

*Quid regeras, queso, nisi nimis hoc absurdum esse &  
 κούρατον: cum sic derideatur potius, quàm extollatur*

*Dei potentia, & contrarietas impossibilis statuatur in voluntate ejus? Deum enim posse & facere, quæ velit: voluntatem autem Dei perinde ac veritatem esse unam & simplicem, nec ullo modo secum dissidentem.*

Quid, te quæso, in verbis sensuque theos hujus simile aut affine est iis, quæ tu mihi adscribis? imò, quæ potest esse cum his ipsis evidentior contradictio? Prodisigitur cujus spiritu ducaris, dum te non pudet tanta in re tam gravem fraudem committere coram Ecclesia ac *diabolus* texere, ut nomen meum lædas: declarasque luculenter, quid fiducia in causa ista tua habeas, ut qui non putes te sustinere eam apud imperitos posse, nisi subsidium à tam turpi mendacio mutuèris. Tantum de calumnia: nunc quomodo argumenti partes cæteras, quale tu id proponis, conficere coneris, breviter expendamus. Respondere te ad majorem dicis primùm per distinctionem: postea ad necessitatem. Et ad prius quod attinet, distinguere te ais inter notas proprias corporis, & proprietates corporis essentielles quas quidem ego perperam ediderim. Ac has quidem tales describis, quemadmodum & prius est demonstratum, ut, si id tam præcisè valere debeat, manifestum sit, omnes delipientes fuisse, qui essentialium proprietatum nomen in disputatione de corporis natura in Ecclesia contra hæreticos usurparunt: inter quos & veteres orthodoxi plures, & è recentioribus etiam vestri plerique fuerunt: Solùm enim Adam

num dicis eas perspicere, ac nominibus suis exprimere potuisse: reliquos mortales hinc cæcos & mutos planè esse, & cum in hac materia versantur, differentiarum ponendarum gratia, ad externas & accidentales notas, cum penetrare ad essentiam nequeant, converti: Eas esse quas natura non nisi in corpore ostendit, ceu sunt esurire, sitire, edere, bibere, coloratum esse, vulnerari, esse mortale: item posse videre & tangi: postremo in partibus consistere, quantum esse, circumscriptum esse. Locale verò, aut in loco, aut aliquo ubi esse, quoniam ad animas & cæteros spiritus finitos etiam pertinet, ad hanc classem proprietatum corporis nequaquam pertinere. Ac argumenta quidem ab his notis propriis vel proprietatibus naturalibus affirmativa ad probandam veritatem naturæ corporeæ usitata quidem Theologis, atque ipsi Christo esse, sed pleraq; præsertim singula seorsim accepta perquam infirma esse, ideoq; plura ferè in usu conjungi, ut quæ non profunt singula, multa juvent: idque potissimum in CHRISTI verbis observari debere, ubi dicit, *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Nam sensui visus, qui facile per phantasma decipi potest, addidisse Dominum sensum tactus, isto nonnihil certiolem, atque in universum in ea probatione physicis observationibus crassioribus pro tenuitate cognitionis discipulorum se accommodasse. O bellum te laudatorem doctrinæ divinæ & argumentorum ipsius

*Nota censuram magistræ Hofmanni de argumentis Christi & orthodoxæ Ecclesiæ.*



Christi summi magistri: probumque ac obser-  
 vantem Ecclesiæ catholicæ filium, tam præ-  
 clare de rationibus illis, quibus contra hære-  
 ses pugnavit, sentientem. Progredieris ulterius?  
 Quamquam natura proprias illas corporis no-  
 tas non nisi in corpore ostendit, non tamen  
 eas omni corpori necessarió inesse, aut in eo  
 deprehendi; unde consequens sit, ad verita-  
 tem corporis constituendam non pertinere  
 non visibilem, non palpabilem conditionem,  
 non alias, adeoque nec ipsam quidem circum-  
 scriptionem: idque manifestum esse in raris, &  
 incerto termino finitis corporibus ceu sunt  
 vapores & flatus tenuissimi, qui sæpe etiam ex-  
 quisitum sensum, & sensibilem *æτὴρ αὐτὸν* effu-  
 giunt, ex quibus exemplis etiam naturalibus  
 appareat, Dei omnipotentiam non esse astri-  
 ctam legibus, quas sensus in crassioribus pepe-  
 rere. Sed ne quis respondere tibi possit, Chri-  
 sti corpus non esse nebulam aut halitum, aut  
 ejusmodi quid, in quo raritas illa insit, sed esse  
 verum hominis corpus, solidum & quod car-  
 nem & ossa habeat, ideoque ex densorum legi-  
 bus, non ex rarorum conditione æstimandum;  
 porró respondes, ita quidem recte censerí se-  
 cundum naturæ ordinem, sed interim male á  
 me factum, quód ex speciali fecerim generale,  
 ex accidentali essenziale. Vide calumniis puti-  
 dis se oblectantem & charras implentem The-  
 ologum, ó lector, atque id, quod amoliri á se  
 prioribus verbis voluit, de Christi corpore ad  
 nebulas & vapores comparato, rursus calum-  
 niandi

niandi libidine in se imprudenter suscipien-  
 tem. De calumniis veró paulo póst. Deinde  
 pergis, non quæri hîc, quale corpus humanum  
 sit juxta leges sensuum probandum, sed num  
 Deo illas leges seponente, verum corpus ni-  
 hilominus consistere queat. Hîc neganti rur-  
 sum obstare, quod demonstratû est, ipsam cras-  
 situdinē nō pertinere ad veritatē corporis, sed spe-  
 ciei esse nō generis, imó non corporis, sed qua-  
 litatis corporis, cum densitas & raritas qualita-  
 tes sint, non essentię. Agnosce ταυτολογίαν tuam  
 ineptam Aristarche, conditam recocctis iisdem  
 calumniis: & aliis, si qui sunt é vestris, qui tam  
 inspidis tuis delectantur, impósterum appo-  
 ne. Sed quæ subjicis, etiam rancidiora, quan-  
 quam cum nausea, audiamus. *Si emendaverit,*  
*inquis, (tuis enim hîc verbis plané, tuaq; con-*  
*structione utar, ut sepiæ in te ingenium appa-*  
*reat) orationem, & converterit se ad veritatem corpo-*  
*ris: non desinet herere responsio in hoc, quod non de cor-*  
*poris veritate, sed de eo, quod ad veritatem corporis, si-*  
*neq; hujus veritatis vel argumento vel decremento ac-*  
*rescit, loquatur, cum tamen status sit de veritate cor-*  
*poris: & sic fortissimé cogetur, ut fateatur, illam visibi-*  
*litatē & palpabilitatē nō esse de corporis essentia & ve-*  
*ritate, quatenus propriissimé corpus per se, & citra alia*  
*adjuncta consideretur. Quis acie penetret has ne-*  
*bulas, in quibus te occultas, Hofmanné, ubi*  
*maxime aperto Marte congregi debebas? quis*  
*non istas præstigias tuas ad præstringendos le-*  
*gentium animos comparatas aversetur? Et*  
*post hæc rursus reponis de essentialibus pro-*

prius *Dr. Colw*: subjungisque statim, *Si Deus id,*  
*quod ex crasitie est, tolleret, certè veritatem corpo-*  
*ris non esse sublaturum:* atque hoc, dicto quodam  
 Curæ doctissimi Phylci in Exegesi Sacra-  
 mentaria confirmare conaris, iterumque ad  
 Dei potentiam, multa præter naturæ leges fa-  
 cientem, te fugæ causa recipis. Deniq; ita con-  
 cladis: *Quanquam à notis propriis, id est, naturalibus*  
*propriis, id est, naturalibus proprietatibus verè osten-*  
*sis sepe rectè procedatur ad probandam veritatem pro-*  
*prii sui subjecti, id est, sue natura: tamen ob ea, qua*  
*jam dicta sunt, iter hoc mutuum non concedi per*  
*contrapositionis conversionem, id est, non valere*  
*ratiocinationem à negatis illis proprietatibus, quas*  
*tu notas proprias vocitas, ad negandum subjectum vel*  
*naturam, quemadmodum ab affirmatis affirmatio*  
*hujus recipitur. Et hæc ita nobis dictas, ut à proprie-*  
*tatum harum numero ne quantitativam quidem &*  
*circumscriptivam conditionem, ut ipse loqueris, ex-*  
*cludas. Os impudens & in Ecclesiam orthodo-*  
*xam contumeliosum. Rationem etiam utri-*  
*usque sententiæ repetis, quòd accidentales notæ*  
*non sint veræ sine subjecto corporeo: corporum verò*  
*subjectum etiam sine istis consistat; cùm per se consi-*  
*stat, & ista ex inesse suum esse habeant: Ac licet physica*  
*non fiat separatio caloris & tactilium qualitatum ab*  
*essentia humanorum corporum, tamen animum ea dis-*  
*cernere, nec ex essentiali accidentale facere, ac, quod*  
*in uno deprehensum, corpus arguit, in altero non*  
*animadvertum, ut in tenuissimo corpore nequaquam*  
*ejus veritatem rectè negare. Et post pauca rursum:*  
*Si hic, i. e. in proprietatibus his natura accidentalibus*



& ipsa natura, conversionis veritas contingat, idem futurum, ac cum ex puris particularibus conclusio inferitur, quod tamen non fiat necessario. Negare etiam te conversionem propositionum per contrapositionem, quia hæc sit universalium affirmativarum, quibus exceptio nulla obstet: nec tamen necesse esse, negata conversione, rejicere convertentē. Et hæc non est rancida crambe recocta sæpe, & semper sordidior nobis reposita: ut te merito pudeat ejus hoc eodem loco mihi objectæ. Postremò de omnipotentia Dei abusu te purgaturus, ita agis, ut omnium evidentissime in id, quod declinare vis, incurrere ab omnibus, qui sana mente sunt, videaris. Plurima enim imò omnia supra præterq; naturam ordinem Deum posse, commemoratis aliquot in Christi corpore miraculis, operose admodum ostendis, Patrumq; pro hac sententia tua, ac si ea probatione opus haberet, interpretatione & testimonia prolixè citas: cum tamen non quid possit Deus supra naturam, sed quid velit, nobis in hac controversia sit inquirendum. Miracula sunt, quod Christus corpore suo lapidē sepulchri, & clausas januas penetraverit, præter naturam solidorum corporum, & super aquas ambulaverit, & à partu factus sit, ac per mediā turbam nemine sentiente transferit, quod & ex dicitur, i. e. formam peregrinam assumerit. Quæ omnia ita exponere orthodoxos patres ait, ut quæ hæc inde sequantur. I. Physicas observationes de veritate corporis ex propriis notis cõsectas, & his nitentes ratiocinationes non esse ejus necessitatis, ut nullas exceptiones admittat. II. Easde observationes alibi graviter à patribus assertas non habere apud eosdem locum, quando miranda opera Dei, quæ illis adversari deprehenduntur, æstimanda sunt. III. Patres cedentibus alicubi

notū corporis Christi propriis, non laborare pro astru-  
 endis illis, sed etiam missis illis veritatem corporis agno-  
 scere. IIII. Orthodoxos patres, sui temporis hereti-  
 cos á propriis corporis notis non perpetuó servatis nec  
 sensibus semper probatis argumentantes, ad negandam  
 veritatem corporis Christi refutasse, & hoc argumen-  
 tandi genus imperitiæ auditorum tribuisse. V. Hæren-  
 tes in conciliationibus physicis deductione ad omnipo-  
 tentiam Dei á patribus sedatos, cui plus liceat, quám  
 nobis liqueat. Et hæc quidem tam multa ad pro-  
 positionem majorem: quæ quantum valeant  
 ordine, sed quám brevissimé, consideremus.  
 Ac quantum ad calumniam de proprietatum  
 appellatione attinet, satis ea disensa jam anté  
 est, & ab ipso te etiam disertis verbis paulo póst  
 agnita, ut nihil necesse putem de ea hoc loco  
 plura dicere. Quód veró de argumentorum  
 infirmitate dicis, quæ á proprietatibus ad na-  
 turæ veritatem demonstrandam, & á natura  
 vicissim ad ostendendas proprietates ducta in  
 usu Ecclesiæ veteris fuere contra hæreticos: in  
 eo, mi homo, ipsa se suamq; autoritatem con-  
 tra morsus tuos, etiam nobis tacentibus, facile  
 Ecclesia tuebitur. Quis enim tu es, qui tua di-  
 ctata, quæ tibi contendendi libido suggerit,  
 ante tot virorum doctissimorum, ac gravium,  
 magnaq; sanctitate fulgentium, imó totius po-  
 puli Christiani iudicio postules? Et nos patri-  
 sticam, Ecclesiam veterem ac synodos insci-  
 tiæ & erroris condemnare. Itaque eo etiam  
 omisso, ad id accedamus, in quo potissimum  
 hujusce

hujusce rei dijudicandæ momentum inest, verumne sit, quod tu affirmare præsumis, corporis humani veritatem non requirere, ut sit solidum, visibile, palpabile, in partibus & dimensionibus consistens, longum, latum, profundum, locale, circumscriptum: & posse nihilominus verum hominis corpus esse ac censei, quod omnibus his notis sit exutum: id est, naturam esse sine naturalibus suis proprietatibus. Hic enim verus tuus sensus est, Hofmanni, quem te quidem liberè ac rotundis verbis enunciare puduit, quod duriusculum auribus veritatem amantibus id futurum vereris. Me tamen erutum nebulis, ac verbortum tuorum longa ambage, in lucem proferre, ut rectè de causa judicare possis, necesse est. Age verò inficiari aude, ut majore cum turpitudine ac dedecore, tuis ipsius verbis quantumvis obscuris redarguare. Quorsum enim illa insulsa tenuissimorum ac insensibillum vaporum allegatio: quorsum quod notas illas non esse corporis, sed qualitatis corporis, non essentialiam, sed accidentia esse, sine quibus essentia sibi constet, quamvis sine essentia aut subjecto hæc esse non possint, quæ duo mens secernat, quamvis naturæ ordo usitatus secerni non patitur, tuo more subtiliter disputas? quorsum, quod eisdem notis non contineri veritatem corporis, sed id esse quod ad veritatem corporis, obscurissimis verbis dicere videris? quorsum quod conversionem per contrapositionem in hac materia de proprietatibus & natu-



ra locum non habere sæpius inculcas? quor-  
 sum, quod miracula, quæ videntur naturam  
 extra *ιδιόματα* quædam naturalia posuisse, reci-  
 tas? quorsum, quod ex patrum adducta expo-  
 sitione *αἰδιόματα* illa quinque, quæ huc omni-  
 no tendunt, conficis? quorsum, quod sublata  
 circumscriptione ac dimensione corporum,  
 in ea conditione, quæ spirituum propria est,  
 nihilominus vera corpora manere, timidè hic,  
 liberiùs in libello contra Dn. Pezelium edito  
 de Sacramentatorum notis, pronuncias? po-  
 stemò quis tuus scopus est in iis, quæ tam pro-  
 lixè ad maiorem propositionem differis, si hic  
 non est, ut eam tollas ac falsam demonstres? Et  
 quomodo eam falsam demonstrabis, nisi hoc  
 verum affirmes, quod est ei contradictorium?  
 Est autem propositionis meæ, calumnia tua  
 semota, hic simplex sensus: *Corpus verum non  
 est sine naturalibus suis proprietatibus. Vel, Quod de-  
 stituitur naturalibus proprietatibus corporis, id non  
 est verum corpus. Nam sublatis proprietatibus tollitur  
 natura.* Ergo evidens & extra controversiam  
 est, tuum scopum fuisse in ea tollenda, ut do-  
 ceres, etiam sine conditione visibili, palpabi-  
 li, quantitativa, circumscriptiva, veritatem  
 corporis humani sibi constare, id est, naturam  
 esse sine proprietatibus naturalibus: quod mi-  
 hi fuit probandum: Aut si adhuc tergiverfa-  
 ris, volens nolens agnoscere cogeris, concessa  
 veritate propositionis meæ, quam tollere ne-  
 gando non audes, totius quoque argumenti  
 mei vi te urgeri, ac succumbere. De quo ad  
 judi-

judicium lectoris provooco. Sed quàm verè  
 nouum illud oraculum, si id agnoscis, é tri-  
 pode proferas, jam expendamus. Ac primum  
 improbitatem tuam noto, qui in hac quæstio-  
 ne, quam de humano corpore carnem & ossa  
 habente esse nosti, à vaporibus ac flatibus te-  
 nuissimis, ac incerto fine se longe lateq; por-  
 rigentibus ad obscurandam veritatem, petere  
 argumentum, & ex eorum qualitatibus asti-  
 mare corpus CHRISTI non erubuisti: jubeo-  
 que faceffere te, ac é medio auferre ejusmodi,  
 ineptias dicam an calumnias? ni proffigati pu-  
 doris esse vis videri. Deinde frustra te DEI  
 potentiam híc ingerere ajo, cùm non, quid is  
 supra naturam possit, sed quid velit, ac ex vo-  
 luntate ejus verum sit, ut prius etiam dixi, inter  
 nos quaratur. Nec enim ambigimus, quin,  
 qui omnipotens est, omnia possit, quæ vult,  
 quæque simpliciter non sunt impossibilia:  
 qualia sunt, DEUM mori, pati, mentiri, va-  
 rium esse, contradictoria simul velle: ut tu  
 perversus omnino esse deprehendaris, qui  
 identidem infinitam ejus vim obtendas, atque  
 hoc velut Gorgonis capite nos percellas,  
 priusquam voluntatem, quæ sola vim coër-  
 cet ac terminat, liquidam nobis feceris. Nec  
 minus sophisticè in eo agis, quòd miracula  
 quædam probandi causa huc adsciscis. Nam  
 é miraculis, rei alicujus aut naturæ condi-  
 tionem haud rectè disci, æstimariue pos-  
 se, quis tam imperitus est, qui nesciat?

*Nota. In Col-  
 loquio Que-  
 d. lib. cùm st-  
 militer pro  
 Ubiquitate  
 asserenda ab-  
 uterentur Dei  
 potètia hem-  
 nicus, Sel-  
 necerus &  
 Kirchnerius,  
 quem admodè  
 hic abutitur  
 Hofmannus,  
 eodem prorsus  
 modo Heshu-  
 sius & Hof-  
 manus cate-  
 rig. collega is  
 occurrerunt,  
 ut hic Hof-  
 manno occur-  
 ritur. Ex quo  
 huius viri  
 candor & con-  
 scientia co-  
 gnosci potest.*

An non hoc est, quod in hæreticis veteribus meritó reprehensum ac refutatum esse á patribus ipse fateris? Et quæ tandem impudentia ac improbitas est, ipsum te, cum tibi usus ejus est, hoc idem ad veritatem obscurandam usurpare, quod vitiosum in aliis esse agnoscis? Vide quo te præcipitet contendendi libido! Aut enim cum hæreticis Marcionitis, Manichæis, Eutychianis verè facis, si ex miraculis naturam æstimas: aut improbus es, si adversante conscientia, vitioso ac damnato argumento ad tuum delirium apud imperitos confirmandum abuteris. Sint sanè miracula illa (ut sunt) potentiæ divinæ illustria argumenta: ut verò ex iis naturæ veritatem nos æstimemus, nunquam nobis Hofmâne persuaseris: quem admodum nec hoc eviceris, ut credamus, tu hanc quæstionem de Sacramento quicquam ea facere, quippe cū in institutis religiosis, quæ naturam non mutant, aut leges ejus solvunt, sed potius veritatem naturæ docent & demonstrant, non autem in miraculis, quæ naturam excedunt, sacramenta Ecclesiæ habeamus. Reprehende verò in his rursus, si quid potes, ó mome, qui reprehendendi pruritu summo teneris. Si, quod pro miraculis non habere nos sacramenta divina dixi, id carpere vis, Augustinum te carpere scito, cujus verba pulcherrima & evidentissima ex cap. 10. lib. 3. de Trinit. paulo antè tibi recitavi: nec Augustinum sololum, sed universam antiquitatem orthodoxam. Ea enim argumento horum, ac imprimis Cœnæ

*Sacramenta  
non sunt mi-  
racula.*



Cœnæ mysticæ, veritatem naturæ humanæ in Christo ejusque proprietates, quibus veritas ostenditur, demonstravit, gloriataque est. confessionem suam de natura, cum Eucharistia, & Eucharistiam cum cōfessione orthodoxa probè consentire. Quod à tuo paradoxo, qui miraculosam cōditionem corporis in Cœna potissimum fingis, corpusq; proprietatibus suis exuis, vide quàm sit alienum. Intelligis Hofmanne, quæ dico? Quæ, ut scabiem illam tuam magis irritem, breviter etiam & syllogisticè repetam.

*Ex miraculis æstimari natura non potest.*

*At ea, quæ tu enumeras, miracula sanè sunt.*

*Ergo ex iis natura corporis æstimari non potest.*

Et rursus:

*Miraculosa conferri cum iis non debent, quæ miraculosa nature non sunt: nec ex illis hæc æstimari.*

*Sed Sacramenta, in quibus est cœna Domini, miracula non sunt.*

*Ergo conferri cum miraculosis, aut ex iis æstimari non debent.*

Debent verò ita potius exponi, ut naturæ corporæ veritatem arguât, & servatarum proprietatum naturalium confessioni ac fidei firmamento magis quàm impedimento esse possint. Sed de miraculis his, ac patrum interpretatione paulo post iterum. Nunc nutantem ratiocinationem tuam, subducto hoc unico, quo nitebatur, fulcro, ulterius, ad motis arietibus in ruinã agamus. Hic primum ex te quæro, quid sit proprietas naturæ, de qua hic contendit.

*De proprietatibus naturalibus.*

mus? An non id, quod naturam à natura discernit? Vel, quod ipsum naturam constituit, & sine quo natura, cujus est proprietas, constare non potest? ut principes causæ vestrae ipsi definiunt. Tu verò id, quod exutum fingis omnibus proprietatibus naturalibus humani corporis, tamen distinctum manere à natura incorporea, ac veritatem naturæ corporeæ retinere, id est, nihilominus verum corpus hominis esse nobis affirmas. At hæc inter se pugnancia sunt, nec simul vera esse ulla ratione possunt. Quia autem priora vera sint, negare non audes, aut si audes, cum tuis bellum habebis, & Synodis orthodoxæque antiquitati te oppones, ut infra demonstrabimus, denique manifestæ veritati omnium oculis se inferenti obstrepere videberis. Ergo falsum haud dubie *Съдогов* tuum.

Deinde, *Non potest fieri, ut natura maneat absq; naturalibus suis proprietatibus*, inquit regula Synodica; Quam confirmat merito Lutherus, ac pro axiomate indubitato admittit his verbis, *Qui tollit proprietates natura, tollit naturam*. Nunquid sic Hofmanne? Tu verò improbe tamen ogganis, corporis veritatem constare, id est, naturam manere integram, & non tolli, etiamsi ejus proprietates omnes ad unum auferantur. Hæc tu concilia inter se, & eris mihi magnus Apollo. Nam quod in libello contra Dn. Pezelium de notis Sacramentorum tergiversandi causa scribere audes, Lutheri ac Synodi regulam de solis essentialibus

libus proprietatibus, non autem de accidentalibus esse accipiendam; accidentales autem esse, de quibus hæc nobis contentio sit; quæso te, bone vir, liceat hîc nobis, qui in tua placita non juravimus, sine stomacho tuo in harum proprietatum numero habere, quas ipsa Synodus, cujus id axioma est, quas chorus orthodoxorum patrum, quas tota vetus Ecclesia habuit, non alias nimirum, quam quas tu excludere niteris, ut paulo post tanta evidentia cõmonstrari videbis, ut quod vel hîscere contra queas, non sis habiturus. Deinde alterum quoque te obsecro, ut fas nobis sit, tantisper has easdem notas pro veris proprietatibus naturalibus, de quibus regula Lutheri loquitur, retinere, donec tu alias ad essentiam corporis magis pertinentes, quarum negatione corpus negetur, quæque in hac quæstione in usu Theologis olim fuerint, nobis edideris. In quo cum deficere te ac obmutescere, necesse sit: an non æquum est, infamiæ pœnam, ob tergiversationem tam improbam te ferre? Amplius etiam dico: aut superflua hæc verba Lutheri fuere, & supervacanea regula, si corporis naturam spectes; aut ipsum Lutherum non alias, quam nos, imò quam veterem Ecclesiam, proprietates hîc intellexisse. De quo tecum Hofmannæ, vel cum periculo totius causæ, litem suscipere ausim. Nec refert, quod diversum in disputatione Sacramentaria asserere alicubi vi-



deatur. Id enim solet evenire illis, qui falsum aliquid tuentur, ut identidem contradictionibus imprudentes se implicent. Quod ne tibi quidem adeo insolens est, quin in morem ferè abierit, vitiique opinionem apud te amiserit. Porrò si verum est placitum illud tuum: necessè omnino est, ἀξιωμα Dialecticum hæcenus sanè indubitatum, esse falsum, nimirum, propria quarti modi, quæ verè propria sunt, uni soli speciei, & omnibus ejus individuis, & semper inesse: aliudque eo celebrius & certius, & necessitate absoluta proximam patiens, definitum converti cum sua definitione: positaq; definitione poni definitum, & sublata definitione tolli quoq; definitum. Quid enim! annon propriissimæ corporis præsertim solidi, quale humanum est, quod carnem & ossa habet, notæ sunt, sensibile, quantum, in partibus consistens, locale, circumscriptum esse? Aut si non sunt, tu alias nobis magis γνωστας substitue. At has tu in *πυρρὸ δόξω* tuo abesse à specie sua posse sine speciei corruptione, affirmas. Quapropter ipse conclude. Item, quæ est corporis, atque imprimis ejus, quod carnem & ossa habet, definitio, nisi substantia visibilis, palpabilis, composita ex partibus, & in partibus consistens, longa, lata, profunda, localis, circumscripta? At hanc definitionem tuum illud pronunciatum de veritate corporis commenticia prorsum tollit. Nec enim ad veritatem corporis requiri dicit, ut sit sensibile, ut dimensiones & partes habeat, ut locale & circumscriptum sit, id est, quod tu corporis nomine

nomine afficis, id sine conditione sensibili, sine partibus, sine quantitate & dimensione, sine circumscriptione esse posse; Et tamen verum corpus hominis esse, carnem & ossa habens. Horumne aliquid negare potes? de sensibili enim qualitate quoties inculcas; propeq; patres hac proprietate in disputationibus usos, atque ipsum adeo Christum derides & insultatis insimulas? de quantitate ac dimensionibus quàm multa verba perdis, ut eam veritati corporis extorqueas? De locali conditione tam liberè loqueris, ut Augustinū & cæteros scriptores veteres tibi adversos flagelles: de circumscriptione rotundè pronuncias, ea sublata non tamen sublaturum iri veritatem corporis: Omnia autem simul comprehendis in libello contra Dn. Pezelium, cum disputas perargutè, (ut tibi videris) etiamsi animæ conditionem spirituales, quæ invisibilis, impalpabilis, sine partibus, sine dimensione, illocalis, incircumscripta est, corpus humanum susciperet, atque ita ubicunque esset, non alio quàm definitivo modo præsens esset, nõ tamen propterea desitutum verum corpus esse, & quidem tale corpus, in quo carnem & ossa verè suscepisse, à Christo edocti dubitare non possumus: Egregiumque argumentum adfers, animam ferre imaginem Dei, & simplicem, impartibilem, immortalem, denique spiritum esse, perinde ut ipse Deus, nec tamen propterea animam non esse animam, aut esse Deum. O te insullum, & risu potius quàm responsione

dignum: nec minus ineptum alterum, quo omnia admiranda paradoxa condire in more habes, Deum totius nature autorem mutare ideas posse, quas ipse condidit; cum velle eum hoc potius demonstrare deberes. Sequitur ergo necessario, aut definitum te tollere, id est, veritatem corporis auferre, aut contradictionem implicare atq; utramq; eius partem simultari, hoc est, ea dicere, quæ sunt impossibilia: ut si affirmes, figuram non habentem tres angulos, tamē esse trigonum. Talia enim sunt, corpus solidum, sensibilem carnem & ossa habēs, quantum, partibile, locale, circumscriptum; sine soliditate, sine cōditione sensibili, sine quantitate, dimensione, partibus, sine localitate, sine circumscriptione. Hic ego te exsuscito Hofmannē, moneoq; ut, per spicillo accepto, diligenter singula argumēti hujus perlustrēs, atq; oculis percurras, ac si quod vitium in eo deprehenderis, id in medium proferas: sin invenire nullum poteris, ut tandem aliquando ad sanam mentem reverti, ac veritati laudem tribuere, quā ambitione cæcus in pertinacia persistere, & contra conscientiam niti ulterius malis. Nec enim quicquam omnino te juvat, quod in Dei potentialatebras quæris: quæ fixa refrigerē, & nature ordinem vertere, eaq; facere quæ impossibilia videntur, possit. Id enim non preposterē solum fit, cum non quid Deus omnino possit, sed quid velit, atq; ex voluntate ejus sit, hic nobis quærat, ut decies jam dixi; sed contumeliam quoq; Deo manifestam irrogat. Et enim,



enim, qui affirmat, Deum facere ut definitum à definitione sua dissideat, is contradictoria eum pariter velle, id est, secum pugnare, & mendacem esse contendit; quod vel cogitare est impissimum. Atq; hoc modo, Hofmanne, de conversione per contrapositionem in hac materia locum nō habente, quod temerarie charitis ille visti, id velut mendacium ad illuscentem veritatem sponte evanescit. Nam si verum corpus hominis censerī non potest, nisi quod proprietates istas habet; plane necessarium est, id quod proprietatib. illis omnib. destituitur, non esse verum hominis corpus. Sed tu axiomata quædam, é patrum pauculis verbis, quibus miracula exponunt, callidé eruta, quæ ab his dissentire videntur, nobis opponis. Itaque res flagitat, ut ex perpetuo consensu veteris Ecclesiæ, ea quæ dicta jam sunt, etiam confirmemus, atq; illustriora reddamus. Sed agemus breviter. Et quidem per proprietates discerni & cognosci naturas, & proprietatib. datis, dari naturas, passim docet patres; ideoq; tantum studii habuerunt, ut ad distinctionē naturarū servandā, has distinctas integralq; retinerēt cōtra hereticos. Huc enim ptinent omnes disputationes cōtra Ariū & sectatores ejus, cōtra Eutycherē, cōtra Manicheos, cōtra Marcionitas, cōtra Macedonianos. Et imprimis clarum est, quod scribit Ambrosius, *Ubi diversa substantia est, non potest esse una potestas & operatio.* lib. 2. ad Grat. Et quod ait Hilarius, *Si aliquid reperiri potest virtutis ejusdem, erit etiam ejusdem*

*Consensus orthodoxæ Ecclesiæ veteris, de naturis & proprietatib. Hofmannico dogmati contrarius.*

*substantie. lib. 6. de trinit. Et quod Nyssenius, Quorum actio & efficacia est una, eorum etiam eadem est virtus & natura. Impossibile est autem increata & creata natura unam eandemq; naturam, actionem & efficaciam esse. Citante Damasc. lib. 3. cap. 15. Et Athanasii illud: Cavendum est, ne inducamus diversam aliquam substantiam, quam tamen capacem esse velimus proprietatum prime substantie. In lib. de Synod. Et Damasceni: Quarum naturarum substantie differunt, earum etiam necessario differentes sint proprietates & actiones: Et contra, quarum actio & proprietates una est, earum est una natura & substantia. l. 3. cap. 3. & 19. Item Cyrilli, Que naturaliter diversa sunt, ea omnia proprietatibus quibusdam naturalibus inter se differunt: Quomodo igitur filius patri consubstantialis non erit, qui omnes naturales patris proprietates habet? In thes. l. 2. cap. 1. Et ejusdem: Quomodo non erit ejusdem substantie, qui ejusdem nature habet proprietates. In Joh. l. 2. cap. 139. Ac rursus ejusdem, Singule res non aliorum, sed suas servant leges & proprietates. Dial. de trinit. lib. 2. Ubi de diversitate corporum & incorporeorum differit. Item: Igitur docere nequit, imo modis omnibus impossibile, posse agnasci aliquid alterius proprietatibus, & non putari esse istud ipsum, quod illud secundum naturam est, cujus proprietatibus agnoscitur. Dial. de trinit. lib. 6. in exordio. Et hoc usa est præcipuo fundamento Synodus v. i. OEcumènica Constantinopoli celebrata, in confutandis Monothetis & Acephalis. Cum quibus tam dilucidis concilia tu, si potes, ea que in lib. contra*

tra Dn. Pezelium apertè, obscuriùs in Apologia cõtra me, de idearum mutatione commentaris, & de corpore disputas, depositis naturalibus proprietatibus suis, spirituum proprietates assumente, & tamen veritatem naturæ suæ retinente: aut, si non potes, ne improbus tergiversator videare, errorem agnosce.

Nec minus perspicuè explicuit, ac religiosè posteris tradidit, commendavitque hanc doctrinã orthodoxa antiquitas, in Christo mediator nostro duas distinctas naturas, etiam in unione ac gloria, differentes & distinctas proprietates perpetuò retinere: Et has quidem confundi sine naturarum confusione, aut tolli negative sine naturarum quoque peremtionem aut negatione non posse. Quò pertinent disputationes ac definitiones omnes contra Apollinarem, Eutychem, Acephalos, Monothetas; & confessiones editæ in Synodis, Chalcedonensi, & Constantinopolitana tertia sub Constantino Pogonato celebrata. In Symbolo Chalced. contra Eutychem hæc verba leguntur: *Haudquaquam differentia naturarum propter unionem sublata, sed magis utriusque natura, in unam personam & unam hypostasim concurrentis, proprietate servata.* Cum quibus Leo Romanus consentiens, in Epistola illa nobili, quæ ceu fidei norma in Synodo eadem Chalced. recepta est, ait, *Salva proprietate utriusque natura, & in unam coeunte personam, suscepta est à majestate humilitas & à virtute infirmitas, &c.* Et pauló pòst: *Tenet, inquit, sine defectu proprie-*



tatem suam utraque natura: Et sicut formam servi Dei forma non ademit, ita formam Dei servi forma non minuit. Et Synodus Lateranensis Romæ acta sub Martino I. Episc. Si quis non confitetur secundum sanctos patres, proprie & verè naturales proprietates deitatis Christi & humanitatis, indimintè in eo & sine defectione salvatas, in affirmationem veritatem, eundem ipsum Deum perfectum & hominem perfectum secundum naturam existere, sit condemnatus. cap. 9. Et Synodus Constantinop. v. 1. contra Monotheletas & Acephalos: Unamquamque in Christo naturam, proprietatem naturalem habere confitemur, & habere divinam, omnia que divina sunt, & humanam, omnia que humana sunt absque peccato. In Epistola Synodica Agathonis Episc. Rom. ad Pogonatum Imp. Et in eadem Synodo hoc ἀξιωμα celebratum est, proque fundamento habitum indubitato, ad conficiendos versipelles hæreticos, verbo duas in Christo naturas confitentes, re negantes: *Sublata proprietate naturali, perimmi naturam necesse est.* Huc Orthodoxi disputationes prolixæ contra Eranistem Eutychem faciunt apud Theodoretum: Et quæ Augustinus habet, in libro contra Felicianum Arianum cap. 10. Eodemque libro cap. 15, ubi ait; *Una persona est, salva utriusque proprietate substantiæ, authoris & operis.* Et rursus Theodoretus: *Sufficit talem dicere unionem, que & naturarum ostendit proprietates, & unum Christum adorandum docet.* In reprehens. anathem. II. Idem in responsione ad anathematismum

matissimum Cyrilli VIII. declarat, anathematissimum se recipere, modó conversio non ponatur, & naturarum proprietates retineatur: Et Tertullian. *Videmus duplicem statum non confusum, sed conjunctum in una persona, Deum & hominem: de Christo dissero. Et adeó salva est utriusque proprietates substantia, ut & spiritus res suas egerit in illo, id est, virtutes, opera ac signa, & caro passionibus suis sancta sit. Contra Prax. Et Fulgentius: In Christo personam non dividunt propria naturarum, neque unitas personæ potest utriusque nature propria confundere. Lib. de incarnatione Verbi. Item Vigilius Martyr: Unde erit verus Deus & verus homo, nisi per veritatem & proprietatem utriusque nature? Lib. 4. Idem rursus; Filius salva utriusque nature proprietate est unus Christus. Lib. 1. Et Origenes: Hec autem dicentes, non solvimus suscepti corporis hominem, sed unicuique substantia proprietatem servamus. Homil. in Matth. 33. Et Damascenus: In deifica unione nequaquam caro Christi naturalium proprietatum excidentiam sustinuit. Manserunt enim & post unionem nature inconsuse, & earum proprietates illesæ. l. 3. cap. 3. ubi longius etiam ad speciem descendit, ac proprietates enumerat, ut & cap. sequenti. Postremó Cyrillus: Nec enim substantia Verbi in naturam carnis ulla ratione transfusa est, nec carnis in Verbū, sed in sua proprietate utraque manente natura. In Epistola posteriore ad Successum Episcopum Mauriæ Diocæsar.*

Ex omnibus his existit *ἀδύνα* irrefragabile, impossibile esse, in una Christi natura duas differentes aut contrarias proprietates simul locum habere. Unde illa sunt apud Vigil, lib. 4. Una natura contrarium quid in se ipsa non recipit. Et apud Theodoretum dial. 1. Hæc ergo & illa (contrarias proprietates intellige) uni natura accommoda: sed non poteris. Et paulo post; Due natura in Christo consideranda, & unicuique convenientia tribuenda: Si verò una natura est Christus, quomodo possibile est ei coaptari contraria. Et ista Nysseni: Si in contrariis sibi proprietatibus harum utriusque natura cernitur, (carnis videlicet & divinitatis) quomodo duo sunt una? contra Apollinaristas. Et Damasceni: Quomodo natura, quæ una est, contrarias essentielles proprietates in se recipere potest? Atque his inter cæteras subjungit, conditionem circumscriptam & in circumscriptam. Isto verò axioma nulla capitalior pestis est tuo paradoxo, ut paulo post experieris.

De utriusque naturæ proprietatibus hæcenus: nunc de iis quæ ad humanam naturam attinet. De quibus hæc est indubitata sententia veteris Ecclesiæ, ex sacris literis extracta, Christum non naturam solum nostram, sed omnes quoque naturæ proprietates assumtas in unione retinere: deinde veritatem naturæ assumptæ non aliunde, quàm ex proprietatibus naturalibus, quas in nobis quoqueprehendimus, æstimandam, nec ab ea, quæ in nobis est, diversam agnoscendam. Non sumus liberati à peccato & maledictione, inquit Athanasius, si non natura humana



humana fuit caro, quam induit Deus Verbum. Nihil enim nobis commune cum alieno. Serm. 2. contra Hæreses. Et idem: Sicut corpus, ita etiam corporis proprietates, per œconomiam & assumptionem Verbi sunt propria. In dialog. Et Damascenus: Nihil eorum reliquit, quæ Deus Verbum initio nos formans in natura nostra creavit, sed assumpsit omnia, corpus, animam, & horum proprietates. Lib. 3. cap. 6. Item Nyssenus: Qui semel homo fieri decreverat, huic proprietates natura humana omnes necessario erant suscipiende. In Catechesi. Idem sæpe in dialogis Theodoretus. Cyrillus verò: Deus existens, ait, & in forma & equalitate patris, apparuit sicut nos, non in sola specie carnis, sed & in humanis proprietatibus. Lib. 6. de trinit. Et in expositione Symboli Niceni. Et Gelasius: Aliter Christus verus homo esse non potest, nisi in natura sue proprietate substantialiter verus subsistens. Contra Eutychem. Atque idem alio loco: Si quid vel divinitatis vel humanitatis inde decesserit, necesse est ut ineffabilis mysterii sequatur resolutio. Videbitur enim in deitatem humanitatis transfusa conditio, ubi ejus desierit proprietas.

Rursum idem: Manet ergo naturaliter in sua proprietate substantia, quia verus Christus aliter esse non potest. Item: Verum corpus Christi est in eo, quod verum est, hoc est, in sue proprietate substantia. Et Fulgentius: In deifica unione vera Christi humanitas naturalem prorsus retinuit nostri generis veritatem. In lib. de incarnat. Similiter Augustinus, cum ait, Semper incommutabilem manere corporis Christi veritatem quam sibi unitam divinitas ge-

vit. De fide ad Petrum, cap. 2. Et Ambrosius: *Quid tam est ejusdem natura, quam caro nostra cum dominici corporis veritate?* Lib. de incarnat. cap. 9. Idem alibi: *Eadem in Christo corporis est veritas que in nobis.* Epistola 22. Et Leo 1. Episc. Rom. *Caro nostra nulla ratione est extra nostri corporis veritatem.* Epist. 70.

Quæ omnia quam tibi adversa sint, Hofmanne, nunquid intelligis, qui ut Acephali quondam in Synodo vi. damnati, corpus Christi verbo relinquis, sed proprietatibus ejus negatis, veritatem ejus re ipsa tollis? Verum longius progredientes, quamnam sint illæ in Christi natura humana, adeoque in corpore, in ipsa unione ac gloria incolumes proprietates, sine quibus agnosci veritas naturæ, ac sibi constare non possit, quasque substantialem differentiam efficere, Damascenus præter alios asserit, ex iisdem patribus aperiæmus. Quæ pars expositionis rursus sententiæ tuæ jugulum petet. Eas enim omnino proprietates bi pereat, pati non potes. Et quæ sunt illæ? Visibilis, palpabilisque forma, partes partiumque ordinem & dimensiones habens, localitas, circumscriptio. Audiamus igitur ipsos patres suis verbis loquentes. Quorum antiquissimus Ignatius ita scribit: *Filius Dei, cuius natura sit invisibilis, factus est tamen visibilis in carne humana; & cum, ut incorporea natura, tactus expers esset, propter nos tamen palpari attingique voluit,*

luit, &c. Et Justinus Martyr: *Solidum corpus Dominum retinuisse etiam a resurrectione, non autem in spiritum aut conditionem spiritualem convertisse, etiam in ipso miraculo ingressus per clausas januas testatur.* Et Leo Rom. ad Palæstinos scribens, *Ideo corpus illud, quod Eutychiani Christo tribuebant, pbant a smaticum appellat, quod ad tollendam de veritate ipsius dubitationem dici de ipso non posset: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet.* Non enim, inquit, *Corpus Christi est ulla ratione extranostri corporis veritatem.* Epist. 41. Item Gregorius Nazianz. *An non omnibus manifestum est, quod sciat ut Deus, ignoret ut homo. Nam apparens natura discernenda est ab invisibili.* In orat. 11. de filio. Idemque docet in scripto ad Cleodonium presb. Similiter & Damascen. l. 3. cap. 3. Et Sophronius Episcopus Hierosolym. in Epistola Synodica, actis Synodi v. i. inserta. *Cyrillus: Dicimus eum palpabilem, cum sit impalpabilis; visibilem, cum sit invisibilis. Non enim alienam ab eo corpus est, quod illi conjunctum est, quod & palpabile & visibile esse dicimus.* In declarat. Anathem. 111. Quinetiam alibi, *Christam dicit desinere primogenitam ex fratribus, si visibilis & palpabilis ipsius nature proprietates in invisibilis & impalpabilis nature conditionem mutetur.* In actis Synodi Nicenæ 11. quæ exrant in tom. Concil. 3. Consentit Athanasius ad Epictetum scribens: *Corpus, inquit, servatoris verum erat corpus, quia simile erat nostro. Soror enim nostra fuit Maria.* Deinde exponens hoc, quod Christus discipulis dixit, *Palpate*



& videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere, sic tandem ait, *Ideo Christum hoc dixisse, ut ipsum in iis, carne nimirum & ossibus quæ palpabilia & visibilia sunt, & ante mortem & post resurrectionem esse credamus.*

Et totus ac prolixus in eo est Hieronymus ad Pammachium scribens contra Johannem Hierosolym. & Origenianos, eodem ferè tecum morbo in hac doctrinæ parte, Hofmannæ, laborantes, iisdem etiam rationibus ad obscurandam veritatem usos. Ostendit enim, in Marcionis phantasma abiturum corpus Christi, si argumento miraculorum, proprietates corporis, inter quas etiam gravitatem naturalem computat, à resurrectione fingantur ablata. Nec Hieronymo hac in parte inferior Theodoretus, præsertim dial. 2. & 3. identidem hoc inculcās, visibilem & palpabilem formam cum cæteris veri corporis conditionibus etiam in gloria cœlesti corpori Christi superesse: *cujus nonnulla post attingemus. Omnium verò evidentissimè Augustinus: Semper quidem divinitate nobiscum est; sed nisi corporaliter abiret, semper ejus corpus carnaliter videremus, & nunquam spiritualiter crederemus.* Serm. 60. de verbis Domini. Audis, Hofmannæ? & adhuc Augustinum tuas in partes trahere audes? Quid enim ille universo dogmati tuo Sacramentario dicere, quàm hoc, magis adversum posset? Sed plura ejusdem videamus. *Quoties de forma servi in Christo cogitas, secundum quam passus est, resurrexit, ascendit in cœlum, & in eadem forma reditus est*

rus est ad iudicium, humanam effigiem cogita, si est in te fides. In Joh. Tract. 40. Item, Sicut filium Dei & redemptorem nostrum secundum divinitatem, invisibilem, incorporeum & incircumscriptum non credere impium est: ita eundem Dei filium in homine assumpto visibilem, corporeum, atq; localem post resurrectionem non credere & profiteri, est profanum. Lib. de essentia divinit. Item, Nec ees audiamus, qui negant tale corpus Domini surrexisse, quale positum est in monumento. Si enim tale non fuisset, non ipse dixisset post resurrectionem discipulis, *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Sacrilegium enim est, credere Dominum nostrum, cum ipse sit veritas, in aliquo fuisse mentitum. Nec nos moveat, quod ostiis clausis, &c. in lib. de agone Christiano, cap. 24. Et rursum: Ego proinde Domini corpus ita in caelo esse credo, ut erat quando ascendit in caelum. Dixerat autem discipulis, ut in Evangelio legimus, de resurrectione sua dubitantibus & illud, quod videbant non corpus sed spiritum esse putantibus, *Videte manus meas & pedes, palpate & videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere.* Sic eorum, cum esset in terra, contrectatus est manibus; sic eorum est, cum iret in caelum, deductus aspectibus; ita vox angelica sonuit, *Sic veniet, quemadmodum eum videtis euntem in caelum.* Fides adsit: & nulla questio remanebit. Et paulo post eodem loco, cum disputasset de corpore animali & spiritali apud Paulum I. Cor. 15. demum ita concludit: *Proinde sicut animale corpus non est anima sed corpus: ita & spirituale corpus non spiritum debemus putare sed corpus.* Quis porro audeat opinari, vel Christi

corpus non spiritale resurrexisset, vel si spiritale surrexit, non jam corpus fuisse, sed spiritum; cum hanc opinionem discipulorum refellat, cum ait, *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Epistola 146. ad Consentium.

Satis de visibili & palpabili forma. De cæteris veri corporis notis persequamur; quales sunt, partes & dimensioes habere, loco & quidem uno circumscribi; quæ pars vel maximè tangit, sed eadem omnium clarissimè ab Ecclesia veteri contra te est definita. Audi Athanasium contra Arium differentem: *Ejus est, inquit, ire & venire, qui aliquibus locorum terminis circumscribitur, & eum, in quo erat, locum deserere ut ad eum, ubi non erat, veniat.* Caterum Verbi divinitas, universa implens nullis locorum terminis separatur: sicut nihil est unde discedat, ita nihil est, quò veniat. Citat Vigil. Similiter & Nazanz. Docemus Christum patibilem esse carne, impatibilem divinitate: circumscriptum corpore, incircumscriptum spiritu: terrenum, & cælestem: visibilem, & qui cerni animo atque intelligi potest: qui loco continetur, & loco non continetur. Ad Cledon. presb. Severianus: *Natus Christus est cælestis & terrenus, in loco versans secundum corpus, extra locum positus secundum Verbum.* Citante Theodoro. Tertullianus: *Ubique invocatum adesse, non hominis natura est, sed Dei, ut adesse omni loco possit.* Fulgentius: *Quomodo ascendit in cælum, nisi quia localis & verus est homo? aut quomodo adest fidelibus, nisi quia idem immensus & verus est Deus.* lib. 2. ad Thrasy-mund. Ecce quomodo & hic in faciem tibi contra-



contradicat, præsertim de præsentia Christi in terra, quam tu etiam corpori ejus, hic verò nõ nisi divinitati tribuit. Idem: *Christi vera humanitas, que localis est, apostolica quoque doctrina intimatur, & absque dubitatione monstratur.* Eod. lib. Et rursus: *Unus idemque homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex patre; Unus idemque secundum humanam substantiam absens cælo, cum esset in terra, & derelinquens terram, cum ascēdisset in cælum.* Ibid. Et plenius adhuc Vigilius: *Nam quando in terra fuit, non erat utique in cælo; Et nunc quia in cælo est, non est utique in terra: Et in tantum non est, ut secundum ipsam Christum spectemus venturum de cælo (attende Hofmannæ) quem secundum Verbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundum vos (Eutychianos appellans) aut Verbum cum carne suo loco continetur, aut caro cum Verbo ubique est, quando una natura contrarium quid, & diversum non recipit in seipsa. Diversum est autem, & longe dissimile, circumscribi loco, & ubique esse. Et quia Verbum ubique est, caro autem ejus ubique non est; apparet, unum eundemque Christum utriusque esse nature: Et esse quidem ubique secundum naturam divinitatis sue, & loco contineri secundum naturam humanitatis sue.*

Et paulò post: *Circumscribitur loco per naturam carnis sue, & loco non capitur per naturam divinitatis sue: Et post pauca concludens: Hec est, inquit, fides & confessio catholica, quam Apostoli tradiderunt, martyres roborarunt, & fideles usque nunc custodiunt.* Lib. 4. Et rursus: *Dei filius secundum humanitatem suam recessit a nobis, secundum divinitatem ait nobis, Ecce ego vobiscum sum*

usque in consummationem seculi. Et pauló póst: Sed  
 & nobiscū est, & nō est nobiscum: quia quos relinquit,  
 & á quibus discessit humanitate sua, non relinquit, nec  
 deseruit divinitate sua. Per formam enim servi, quam  
 abstulit á nobis in cælum, absens est nobis: per formam  
 Dei, que non recedit á nobis, in terris prasens est nobis,  
 tanquā & prasens & absens ipse unus idemq; est nobis.  
 Idem Vigil. lib. i.      An Theodoretum et-  
 iam audire desideras? qui ita hanc causam in  
 dialogis agit, ac si te refutandum sumisisset.  
 Sed pauca ejus é multis sufficient. Corpus Do-  
 mini, inquit apud eum Orthodoxus, humanum  
 genus habet, & priorem circumscriptionem. Et  
 pauló póst: Corpus Dominicum surrexit quidem  
 á corruptione & interitu alienum, & impatibile, &  
 immortale, & divina gloria glorificatum, & á cœle-  
 stibus adoratur potestatibus; corpus tamen est, priorem  
 tenens circumscriptionem. Et mox: Didici etiam á  
 sanctis angelis, quód veniet eo modo, quo viderūt ipsum  
 discipuli euntem in cælum. Viderunt veró circumscri-  
 ptam naturam, non incircumscriptam: audivi etiam  
 Dominum dicentem, Videbitis filium hominis venien-  
 tem in nubibus cœli: Et novi circumscriptum ab homi-  
 nibus videri: nam invisibilis est natura incircumscripta.  
 Omnia hæc, & plura similia dialogo 11. Et rur-  
 sum: Nam corpus illud speciem priorem & figuram &  
 circumscriptionem habet, & ut simpliciter dicatur,  
 ipsam corporis essentiam. Eod. dial. Et iterum  
 idem: \* Καὶ πλὴν μὲν τὴν ἀόρατον θεωροῦμεν  
 ἄφθν τὸ κρῖς σώμα, καὶ χεῖρς ἔχον, καὶ πόδας, καὶ  
 τὰ ἄλλα τὰ σώματ' ἴσμεν, καὶ ἀπὸν βῶ, καὶ ὄρα-  
 τὸν.      Et pauló póst: Corpus est compositum,  
 & in

\* Id est, Ar-  
 qui post re-  
 surrectionem  
 circumscri-  
 ptum conspe-  
 ctum est Do-  
 mini corpus,  
 ac manus ha-  
 bens & pedes,  
 & cætera  
 corporis mem-  
 bra: & tan-  
 gibile erat ac  
 visibile.

& in multas partes divisum. Non est ergo mutatum in naturam divinitatis: sed etiam post resurrectionem immortale quidem est, & incorruptibile, & divina gloria plenum: corpus tamen, propriam habens circumscriptionem. Dial. III. sub finem. Vide, magnus hic autor quàm accuratè tuos errores configat, præsertim si his addita fuerint, quæ idem ad obstruenda tibi latibula de abusu divinæ potentia, ac de respectu corporis ejusdem dominici in sacra Cæna exponit: de quibus suo loco dicemus. Atque hæc causa est, cur tu cum succenturiatis tuis summum hunc Theologum invisum tibi, apud alios etiam suspectum reddere, id est, hæreseos infamia aspergere calide studias. Sed ut penitus juguleris, plures etiam contra te testes sententiæ orthodoxæ in Ecclesia veteri citemus. Origenes: *Qui dicit discipulis, Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem sæculi, unigenitus Dei est, Deus Verbum, qui non est corporeo ambitu circumclusus: secundum divinitatis suæ naturam non peregrinatur: sed peregrinatur secundum dispensationem corporis, quod suscepit &c.* Homil. 33. in Matth. Et idem eodem loco: *Nec enim (ait) homo est, qui est ubicunq; duo vel tres in nomine ejus fuerint congregati: sed virtus divina que erat in Iesu.* Augustinus: *Noli dubitare, ibi nunc esse hominem Christum Jesum, unde venturus est, memoriter q; recole, & fideliter tene Christianam confessionem &c.* Et sic venturus est, illa angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est, in eadem carnis forma atq; substantia, cui profectio immortalitatem dedit, naturam nō abstulit. Et paulo post:



Una enim persona Deus & homo, & utrumq; est unus  
 Christus Jesus, ubiq; per id quod Deus, in cælo per id  
 quod homo. Et in conclusione Epistolæ ejus-  
 dem: Christum ubiq; eorum presentem esse non dubi-  
 tes, tanquam Deum; & in eodem templo Dei esse, tan-  
 quam inhabitantem Deum, & in aliquo loco cæli pro-  
 pter veri corporis modum. Omnia hæc in Epistola  
 57. ad Dardan Idem: A quibus homo abscedebat,  
 Deus non recedebat: & idem ipse Christus homo & De-  
 us. Ergo & ibat per id, quod homo erat; manebat per id,  
 quod Deus erat: ibat per id, quod uno loco erat, mane-  
 bat per id quod ubiq; erat. Tract. 78. in Joh. Idem:  
 Homo secundum corpus in loco est, & de loco migrat,  
 & cum ad alium locum venerit, in eo loco unde venit  
 non est: Deus autem implet omnia, & ubiq; totus est,  
 nec secundum spatia tenetur locus. Tract. 91. in Joh.  
 Idem: Sursum est Dominus: sed etiam hic est veritas  
 Domini. CORPUS ENIM DOMINI, IN QUO  
 SURREXIT, IN UNO ESSE LOCO OPOR-  
 TET, veritas autem ejus ubiq; diffusa est. Tract. 30.  
 in Joh. Idem: Ubi & quomodo sit in cælo corpus  
 Domini, cum curiosissimum & supervacaneum sit quo-  
 rere, tantummodo in cælo esse credendum est. De  
 fide & Symb. cap. 6. His adde ea quæ Tract. in  
 Johan. 50. & 107. habet idem Augustinus, ab-  
 sentiam corporalē Christi ab Ecclesia, ut jam  
 manu prehēdi nequeat, evidentibus verbis in-  
 culcans. Et quæ Cyrillus lib. II. cap. 21. & 22.  
 item lib. 9. cap. 21. in Johannem in eandem o-  
 mnino scribit sententiam, & omnipræsentia  
 scriptibilis non sit, proptereaq; ad omnia pari-  
 ter

ter se extendat, cuncta simul sibi præsentia habeat, absentiam corporis opponit. Habes igitur omnium manifestissimã de corpore Christi, visibili, palpabili, partes & dimensiones habente, locali, circũscripto, antiquitatis orthodoxæ sententiam, quæ ita sanè radiat, ut etiam si avertere oculos coneris, tamen lucem ejus se ingerentem repellere non possis. Sed ne quod latibulum tibi restet: ut in prioribus proprietatibus, quibus ipse Christus velut infallibilibus argumentis hujus rei ad docendos apostolos usus est, prius fecimus, sic nunc in posterioribus quoq; his ex patrum mente liquidum faciamus, quæ arctius etiam essentiæ corporeæ coherere atq; insitæ esse videntur: non solum eas corpori inesse ordine naturæ, ut tu adverte sine conscientia mussare videris, verum etiam sine his ipsis constare corporis veritatem, in contrariisve consistere haud posse. Atque id primum ex eo palam fit, quod patres de omnibus enumeratis proprietatibus in genere hoc ipsum affirmant, ut prius est ostensum. Deinde, quod æstimari veritatem corporis dominici è nostrorum corporum veritate, ut quæ ejusdem generis sint, nos jubent. Postremo, quo omnis tergiversatio tollitur, quod ad speciem descendentes, disertè quoq; hoc ipsum verbis & rationibus profitètur. Quod postremum nunc nobis demonstrandum. Tertul. de Trin. *Ubiq; invocatum adesse, non hominis natura est, sed Dei; ut adesse omni loco possit.* August. *Ne dubites Christum esse in aliquo cæli loco, propter veri corporis*

MODUM. In epistola ad Dard. Et lib. 2. de civitate Dei iisdem verbis. Idem: *Sicut Dei filium secundum divinitatem, invisibilem, incorporeum, & incircumscriptum non credere impium est: ita eundem Dei filium in homine assumpto, visibilem, corporeum, atque localem post resurrectionem non credere & profiteri profanum est.* In lib. de essentia divinitatis. Ubi antithesis consideranda, in cujus parte prior de divinitatis attributis necessitas est, quæ aliter habere se non potest. quapropter quin idem secundum Augustinum de parte altera intelligendum sit, haud dubium videtur. *Quin & hoc addendum. Hofmannus corpus Christi profiteretur invisibile & illocale, atque ita visibile & locale negat; cum in eodem subjecto locum habere contraria non possint; Ergo ex sententia Augustini extra controversiam profanum est.* Et rursus idem Augustinus. *Corpus domini, in quo surrexit, in uno esse loco oportet.* In Joh. tract. 30. Et hoc sane est quod tu Hofmanno disertè negas. Multipresenciam enim veri corporis faciliorem esse dicis quam penetrationem ejus per clausas januas, aut aliam quamvis materiam solidam, exemplumque ejus, velut proclivis etiam in natura rei, in anima monstras, scilicet. Idem: *Quantumcunque sit corpus vel corpusculum; ut loci spacium occupet necesse est.* Epistola 3. Idem: *Deus totus in caelo est, totus in terra, non alternis temporibus, sed utrumque simul, quod nulla natura corporalis potest.* lib. 2. de civitate Dei, cap. 29. Quid hinc Hofmanno, dicis? adhucne tibi cum Augu-



Augustino convenire; qui corpus in aliquo toto spacio totum, & in qualibet spacia parte totum spiritus instar simul esse posse, servata nihilominus naturæ suæ veritate, impudentissime affirmare & nobis credendum proponere audes? id est (ut magis mentem tuam explicem & conspiciendam lectori exhibeam) hoc asserere & nobis persuadere conaris, quemadmodum anima hominis in toto corpore suo tota est, & in qualibet ejus parte tota ex natura simplicis & spiritualis essentiæ, ut physici docent: non alia ratione corpus Christi (nam eó omnis tua disputatio pertinax refertur) in cælo ac terra simul totum, & in qualibet eorum parte eodem quoque momento totum esse, nec ideam corporis, aut eandem cum nostris corporibus veritatem propterea deponere. Sanè existimo in hoc sententiarum vestrarum conflictu, consensum tamen cum Augustino tuum ad vulgus venditare te velle, cum eum semel patronum tuæ causæ imprudenter adseiveris. Id enim ad constantiæ opinionem tuendam facturum videtur. Nec tecum ego quoque contendero, quin cum Augustini hac sententia æquè tibi hic conveniat, atque cum articulis catholicæ fidei. Quinimo acumen tuum meritò suspexero, qui in contradictoriis indubitatis tamen consensionem invenire ac demonstrare possis, ut infra apparebit. Sed ad Augustini dicta revertamur: *Spacia locorum tolle corporibus, nusquam erunt: Et quia nusquam erunt, neq̄ erunt: Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum,*

non erit, ubi sint: & ideo necesse est ut non sint. Epistola 57. ad Dard. in qua potissimum de corpore Christi in unione cum divinitate agit. En tibi corpora cum locali conditione arctissime connexa. Sic enim ait: *Quemadmodum corporibus sublati qualitates superesse, aut quicquam esse non possunt: ita planè locali conditione remota à corporibus, corpora perire necesse habent.* Et hoc quoq; tu cum tuo paradoxo aut somnio potius, si nobis conciliaveris, coroham merebere. Idem rursus August. *Miror autem cor vestrum (Arianos compellans) quantum sermone explicare non possum, (attende ad hanc vocem, Hofmanne) quomodo cum sic laudetis Spiritum S. ut eum sanctificandis fidelibus ubiq; asseratis esse presentē, tamen negare audeatis Deum. At ane Deus non est, qui replevit orbē terrarū? Scriptura enim dicit, Spiritus Domini replevit orbē terrarum. Sap. 1. lib. 3. cap. 21. contra Maxim. Arianū.* Item: *Ubiq; adest Spiritus sanctus ad homines in eternam vitam regenerandos, & nō est Deus?* Ibid. Quo in dicto Augustini animadvertere lector debet, ne erret, vocē, *ubiq;* hīc nō latius patere, quam multipræsentiā illā, quam in corpore Christi fingit Hofmannus. Utrumq; enim ad cœlū, & dispersos cœtus fidelium hominū in terra pertinet. Quid igitur impedit, Hofmanne, (ad te enim me rursus verto) quo min<sup>o</sup> ex sensu illo tuo de multipræsentiā corporis cū Augustino dicere liceat. *Miror cor tuū, quantū sermone explicare nō possum, quomodo cū sic sentias de corpore Christi, ut id pascedis oraliter fidelib<sup>o</sup> æquē & infidelib<sup>o</sup> in mysterio cœnæ ubiq; affe-*

afferas esse realiter ac corporaliter præsens, tamē negare velis esse Deū, aut deposita veritate naturę suę convertum in naturā divinam. Nec latibulū tibi esse potest prætextus unionis gratiæ, quō vos pressi recipere soletis. Nā unio naturā nō mutat, nec glorificatio ex unione profecta eō procedit ut veritatem naturę auferat. Auferret verō, si aliam ei ideam aut formā cōferret, quā habet natura corporum nostrorū. Eadē enim omnino utrobique veritas, cum consubstantiale sit corporibus nostris, corpus Servatoris, atque ex veritate nostrorum illius veritas æstimeretur, proinde & eadem idea. Idea autem & veritas forent diversæ, si illic multipræsentia ista tam latē, hīc non item intelligeretur, aut verē haberetur. Aut necesse erit nostræ etiam corpora in eandem illam multipræsentia conditionem transire, cum scriptum sit, corpora nostra conformia futura corpori illi glorioso. Nec verō hæc solius Augustini sententia & argumentatio est, sed patrum quoque aliorum. Ambros. *Omnis creatura certis suis naturæ limitibus est circumscripta: nec est creatura dicenda, quæ non habet circumscriptā determinatamque substantiam & virtutē.* In lib. de Spiritu S. unde porro colligit, Spiritum S. omnibus fidelibus simul præsentē, creaturā nō esse, sed Deum. Nec alia est Basili collectio cōtra Eunoniū & Macedonianos, Spiritus S. divinitatē inficiātes. Copiosus verō in eo est, & valde evidens ac gravis Cyrillus cūm alibi, tum in lib. *Quod Spiritus S. sit Deus. Quum in loco & circumscriptioe intelligatur*



qua facta sunt, Spiritus autem sanctus non sic scriptum  
 enim est, Spiritus Domini implevit orbem terrarum:  
 psallit etiam David, Quo ibo a facie tua ) quomodo fa-  
 ctum esset, quod omnia implet, id quod profecto ipsi di-  
 vine & summa natura convenit. Nam scriptum est,  
 &c. Et rursum: Cùm Deus dicat, Nonne caelum  
 & terram ego impleo? &c. Spiritus est qui implet.  
 Scriptum est enim, Spiritus Domini implevit orbem ter-  
 rarum. Igitur non est alius a Deo & patre secundum  
 naturam, neq; alius a filio Spiritus sanctus; sed ex pa-  
 tre per filium transit ad creaturam. lib. eod. Quod  
 Spiritus sanctus sit Deus. Atque idem rursum:  
 Unde cùm nec loco nec circumscriptioibus quantita-  
 tig, & mensuris subiectus sit (hec enim creaturis ma-  
 gis conveniunt: deitas autem quantitate caret ac cir-  
 cumscriptioe & magnitudine, nec situ secundum lo-  
 cum intelligitur, quandoquidem omnino incorporea  
 est) & ipse Spiritus sanctus erit in divina natura pro-  
 prietatibus honestandus, cum patre & filio omnia im-  
 plens, & in omnibus esse creditus. Et paulo post:  
 Igitur si nullus locus, ubi non est Spiritus sanctus, &  
 omnia impleat, spiritus est Deus, qui implet omnia.  
 Dialog. de Trinit. lib. 7. sub finem. Nec secus  
 de filio quoque ratiocinatur, in Johan. lib. 11.  
 cap. 21. & 22. ac plenius in dialogorum lib. 5.  
 Quid, inquit, posse implere omnia, & transire per o-  
 mnia, & sequi in omnibus, concedes etiam alteri natu-  
 re a divina? Respondit Hermes, Non equidem.  
 Et mox Cyrillus: Quum igitur Deus sit in omnibus  
 & a nullo abscedat, sed operatione divina adimpleat,  
 & propterea ad Israëlem dicat, Coelum mihi thronus,  
 terra scabellum pedum meorum: qualem mihi domum  
 adifi-

edificabit is, dicit Dominus, vel quis erit locus quietis  
mea? hoc ipsum valde recte ad verbum, quod ex Deo patre  
prodit detorquens divinus nobis scribit Paulus. Ubi  
non est Græcus, &c. sed omnia in omnibus Christus. Et  
mox concludens: Nunquid igitur, quod omnia im-  
plet, & per omnia quidem transit, & est in omnibus,  
non majus est quam creatura?

Et breviter, sed nervose, Didymus, cujus pie-  
tas & doctrina in veteri Ecclesia celebris fuit:  
Ipse Spiritus sanctus, inquit, si unus de creaturis esset,  
saltem circumscriptam haberet substantiam, sicut  
universa que creata sunt. Nam et si non circumscriban-  
tur locis & finibus invisibiles creature, tamen proprie-  
tate substantia finiuntur. Spiritus S. autem cum IN  
PLURIBUS sit, non habet substantiam circumscri-  
ptam. Lib. I. de Spiritu sancto. Et hinc rursus  
aures & animum arripe Hofmanne: Quod in  
pluribus simul sit Spiritus sanctus, inquit Didy-  
mus, ideo non habet circumscriptam substan-  
tiam: quinimo ne creatura quidem censi  
potest. Nam ne spiritus quidem invisibiles in  
pluribus simul locis sunt: sed licet proprie cir-  
cumscripti non sint, tamen proprietate sub-  
stantia suæ finiuntur, id est, in pluribus simul  
esse non possunt. Quid verò tu? corpus quam-  
vis innumeris simul in locis, longissimeq; dis-  
tans, in cælo & terra verè secundum substan-  
tiam præfens statuas: tamen non ideo te con-  
fiteri, esse incircumscriptum & indimensum.  
Agnoscisne ingens *ἡ δόξα* tuum, quod cum  
alibi, tum in apologia contra me habes, ubi ad  
minorem mei syllogismi respondes, ea charta

quæ notata est H. 2. Item, *Etiamsi aliquid sit in pluribus simul locis magnog, intervallo diiunctis essentia sua totum, tamen id propterea Deum esse aut divinam naturam habere, non esse dicendum: concludendumve, cum non sit ea proprietas solius Dei: imò ne corporis quidem ideam aut veritatem idcirco exire aut egredi, & in spiritus naturam transire, nobis affirmandum: quippe cum Deo ideas creanti ac pro libitu suo deus statuenti ( hoc enim prætextu abuteris ) nihil sit impossibile, ut & in eadem Apologia, & in libello contra Dn. Pezelium edito fol. 33. 34. 35. commentaris. Et horum igitur, quæ contradictionem luce meridiana clariorem implicant, conciliationem nobis debes, ne dissentire ab orthodoxorum patrum doctrina videaris. Nec verò hæc Didymi solius sententia est, ne hic calumniari aut tergiversari possis; sed cæterorum etiam, quorum præcipuum nomen in Ecclesia olim fuit, atque etiam nunc esse non desit, patrum. Augustinum tu ipse tibi restem & interpretem præclarum ejus doctrinæ, quæ in veteri Ecclesia CHRISTI viguit, advocasti: ut ejus auctoritatem ac judicium defugere non possis. Is Epistola 28. quam ad Hieronymum alterum Ecclesiæ Latinæ lumen de natura & origine animarum summa gravitate & diligentia scripsit, ita loquitur: *Porro si corpus non est, nisi quod per loci spacium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, & brevior brevior, minusque sit in parte, quam in toto, non est corpus anima. Per totum quippe corpus, quod animat,**



animar, non locali diffusione, sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes ejus partes tota simul adest, nec minor in minoribus & in majoribus major, sed alicubi intentius, alicubi remissius, & in omnibus tota, & in singulis tota est. Haecenus August. Quibus si vel fingere aliquid magis adversum, quã id, quod tu in libello contra Dn. Pezeliũ, loco jam mōstrato, temere effundis, quodque universum tuũ *De Doctore de corpore Christi* in sacra Cœna habet, satagas, sanẽ haud possis, quod lectoribus judicandũ permitto. Quid Cyrillum Alexandrinum, nonne & magnũ & orthodoxum, principemq; eorum, qui doctrinæ de persona Christi, duabusq; in eo naturis integritatem contra corruptelas Nestorianas asseruere, arbitraris? nonne eum in ore habetis affidnõ? eum custodem doctrinæ sanæ de majestate hominis CHRISTI unum omnium maximum celebratis? Hunc igitur inter nos definientem clarissimis verbis audi. Divina natura, inquit, nec in loco est, nec transeundi, transgrediendiq; morum patitur. Corporum enim hac proprietat est. Deus autem omnia, ut diximus, replet. Lib. i. cap. 9. in Johan. interperans illum locum, Quæ illuminat omnem hominem &c. Et accuratius in Dialogis: Substantia divina incorporea est, ideõq; sectionis & partitionis expers. Nam si verẽ sectionem aut partitionem divina natura reciperet, intelligeretur & corpus esse. SI AUTEM CORPUS, ETIAM IN LOCO OMNINO, ET IN MAGNITUDE, ET QUANTITATE ESSET: ET SI QUANTA ESSET FACTA,

NON EFFUGERET CIRCUMSCRIPTIONEM, *sequeretur adhuc etiam aliarumq; cogitationū nostrarum turbatio.* Dial. de Trin. lib. 2. Et quid morositas ac pertinacia tua postulare possit amplius? Ne ipse quidē Deus, inquit Cyrillus, qui tamen maximē omnium liber & potens & incomprehensibilis est, circumscriptionem & quantitatem conditionemque localem effugeret, si corporeum aliquid esse intelligeretur. Manifestum igitur & indubitatum est ex patrum sententia, imō ex orthodoxa Ecclesiæ consensu, non solūm verū corpus esse, quod ordine naturæ quantum, locale, circumscriptum est: sed etiam veritatem ejusce sine his conditionibus aut proprietatibus esse non posse: Quod tu quamvis cōsensum tuum cum patribus jactitas, disertē, nullaque verecundia pernegas. Sic enim scribis, *Docere vos, nullam harum notarum, nimirum, circumscriptum, dimensum, visibile, palpabile, &c. veritatē essentia corporis ita constituere, ut sublati illis veritas corporis necessario sit neganda: fol. H. 3. Et, Pro errore te habere, si quis visibile, palpabile, quantum, circumscriptum corpus, nec ullum aliud verū statuatur: fol. H. 5. eoq; omnis tua pro veris simul recipi nequeunt, quod ipse tu diffiteri non audes. Quare altero admisso probatoq;, necesse est, alterum nos sine dubio falsum habere. Tu verō, si postulabis, id, quod tu nobis dictas, ut Ecclesiæ consensui tā claro ac constanti, firmisq; nixo rationib; præferamus; profecto & impudēs existimaberis & cū postu-*  
lato

lato tuo rejiceris, atq; hujus nostri judicii, ne  
 nimium te offendat, jam antè veniã á te petii-  
 mus. Restat igitur, ut tua ista sententia ejecta é  
 contubernio veritatis, falsitatisque stigmatè  
 iniusta, cum ignominia explodatur. Nec te  
 quicquam contra sententiam illam patrum,  
 quæ tuæ ex adverso ponitur, prætextus omni-  
 potentiæ Dei allevaverit. Non enim tam pro-  
 fanum est, cum judicio & discretionè de Dei  
 potentia loqui, & dicere aliqua esse, quæ Deus  
 non possit, quàm tu non tam ex animi tui sen-  
 su, quàm ad imperitos circumveniendos de-  
 clamitas. Quod verbis patrum quàm meis ad  
 declinandam calumniam tuam malim expo-  
 nere. Erit, inquit Tertullianus, *aliquid & diffici-*  
*le Deo, id scilicet, quodcumq; non fecerit, non quia non*  
*potuerit, sed quia noluerit.* Et Theodoretus: *O-*  
*mnino, ut apparet (ait ad Eutychianum, quod in*  
*te quoque optimè quadrat) ignoratis, qualis sit*  
*Dei natura. Nam dominus Deus nihil vult eorum, quæ*  
*à natura sua abhorret. Quæcumq; autem vult, perficere*  
*potest. Vult autem tantum nature sue accommodata*  
*& congruentia.* Et cum Eranistes Eutychianus  
 occineret, adductis sacris literis, omnia Deo  
 esse possibile: respondet, non esse sic indefi-  
 nitè indistincteq; loquendum: Incurri enim  
 eo modo in ea, quæ divinæ naturæ sunt adver-  
 sa, ac proinde impossibilia: Quorum nonnul-  
 lis enumeratis tandem infert: *Multa igitur inve-*  
*nimus impossibilia esse omnipotenti Deo. Sed horum ni-*  
*hil posse, non infirmitatis, sed immense potentie certis-*  
*simum signum est: Posse autem, impotentia, non poten-*



*tie indicium est.* Inter ea verò commemorat,  
 varium esse & mentiri Deum: & ex Apostolo  
 huc citat, fieri non posse ut mentiatur Deus,  
 Heb. 6. Item, Deum fidelem manere, ac negare  
 seipsum non posse, 2. Tim. 2. Rursum conclu-  
 dit: *Multa igitur impossibilia sunt Deo: & ea quidem  
 omnia, quæ ipsius naturæ repugnant.* Dialogo 3. Si-  
 militer Augustinus: *Ideo Deus omnipotens est, quia  
 ista non potest. Nam si ista posset, non esset omnipotens:  
 & si in eo essent, non esset dignus, qui esset omnipotens.*  
 lib. 1. cap. 1. de Symbolo. Quid impedit igitur  
 rursum, quo minus nos hoc modo quoq; colli-  
 gamus. Deus quædã nō potest: negare enim se-  
 ipsum nō potest: negaret vero seipsum, si variū  
 se præstaret: Id faceret, si contradictoria pariter  
 vellet: Hoc verò in eum caderet, si & corporū  
 nostrorum naturam talem esse juberet, ut verè  
 illa dicere potuerint patres, quæ sunt prius re-  
 citata, & simul id verum vellet, quod tu è cere-  
 bro tuo commentaris. Quapropter hoc fieri  
 nō potest. Licet ringaris, Hofmanne, & animi  
 tui fluctus omnes commoveas: non tamen ef-  
 ficias, ut malè hoc à me conclusum esse videat-  
 ur. Nam miracula quod attinet, quæ recenset,  
 frustra ad ea confugis. Ostendi enim jam antè,  
 haudquaquam ex his de naturæ statu aut con-  
 ditione judicandum, aut veritatem ejus inde  
 æstimandam describendamq;. Quippe cūm  
 nomen hinc habeant, quod cūm modus eo-  
 rum intelligi ab homine non possit, nec cum  
 regula convenire videantur, admirationem  
 nobis meritò moveant. Nec ex his, tum quod  
 singu-

singularia sint, tum quod de modo eorum nemo certi quid dicere possit, regula constituida, aut ea, quæ divinitus posita regula est, refingenda. Quod ipsi te patres, quorum expositionem citas, satis docent, tuumq; somnium vanitatis coarguunt: Hieronymus etiam ita te liberè refutat, tantaq; tibi evidentiâ contradicit eodem quem adducis loco ad Pammachium, (sicut & epist. 20.) ut impudentiæ te alliges qui eum citare non erubueris. Nec alia in Justino ratio. Is namq; corpus Christi in ipso miraculo non in conditionem spiritualem esse verum, id est, proprietates spiritus à corpore alianas assumisse: sed crassum, palpabile & visibile re ipsa mansisse; divinam verò potentiam ea, quæ præter & supra naturam sunt, miracula fecisse, dilucidè perhibet.

Atque ita tibi clauditur etiam ille receptus, ad quem te fugam parare, non nulla tua verba significare videntur, ex conditione statuque suo glorificato corpus CHRISTI in se, oculis hominum non patuisse, aut manibus contrectabile fuisse, sed quadam dispensatione ad confirmandam discipulorum fidem eas qualitates velut resumisse. Quo somnio nihil vanius ac profanius dici potest. Taceo, quod in miraculo disparitionis  $\mu\eta\ \alpha\phi\alpha\rho\tau\omega\upsilon\ \gamma\epsilon\gamma\epsilon\nu\eta\theta\alpha\iota\ \tau\omicron\nu\ \kappa\upsilon\epsilon\rho\omega\upsilon$ , quod tuo delirio congruum videri possit,  $\alpha\lambda\ \alpha\phi\alpha\rho\tau\omega\upsilon$ , quod te potius oppugnat, apud

*Nota: Helms-  
tadiani, è qui  
bus est Hof-  
mannus, in  
apologia sua  
contra VVir-  
teberg scripta  
anno 1515. pag.  
33. notant &  
reprehendunt  
Ubiquitarios,  
quod dum U-  
biquitatem  
tuentur, doce-  
ant Christum  
tantum ex  
invisibili per  
æconomiam  
visibilem sæ-  
pe factum, &*

i iiii

*similia. Quod hinc recepti planè contrarium est.*

utrumq; Euangelistam legitur. Id enim invisibilem conditionem in ipso corpore, hoc verò obstupuisse potius in videndo corpore spectatorū oculos divino miraculo, significat. Aliud etiam dico, cur ea, quæ tu de miraculis dicis, quæcunque etiam eorum ratio sit, hinc tamen locum habere, tuoque paradoxo patrocinari non possint. De Sacramento enim quæstio nobis est: Id verò, ut ostendi prius, in miraculorum ordine non est: nec miraculum in eo aut inquirere aut discere, sed ex instituto Domini fidem nostram de veritate naturæ nostræ in ipso, qualis illa sine miraculo est, confirmare debemus. Quod cum ita sit, quomodo tu ex miraculosa conditione vim Sacramenti nobis explicabis, aut tuum paradoxum tueberis? de aliis nimirum rogatus, de cœpis absurdissimè respondens. Vis audire etiam hic patres? Docent illi, corpus Christi tale esse in Sacramento, quale est pro mundi vita datum: id verò nõ exutum proprietatibus suis pependit in cruce, sed visibile, palpabile, partes & membra sua & dimensionem habens, locale, circumscriptum. Deinde ita tradunt, eam vim mysterii esse, ut sensus ejus cõsentiat cum confessione fidei de veritate illa naturæ in Christo antè à me exposita, id est, de vero corpore sensibili, organico, circumscripto, nobis *ἁμωσία*: & confessio illa vicissim congruat cū sensu sacramenti: atq; ita sacramenti ratio & usus fidem istam illustret, nõ turbet: promoveat, nõ implicet: stabiliat, non convellat, aut in dubiū trahat; quod sanè tu de tuo



tuo dogmate Sacramentario dicere non potes. Ut Irenæum hac de re præteream, Tertulliani verba quàm perspicua sunt lib. 4. ubi contra Marcionis phantasma disputat, argumentumque à figura ducit, nimirum à pane & vino in cœna, ad rem figuratâ demonstrandam? Quem locum concludens ait, *Proinde à panis & calicis Sacramento ex Evangelio probavimus corporis & sanguinis veritatem, adversus phantasma Marcionis.* Id verò argumentum Tertulliani non alio nititur principio, quàm quod Damascenus explicat in oratione de imaginibus cùm dicit; *Quod corporis expers est, nec oculis videtur, nec circumscibitur, nec formam habet, ejus nulla potest esse imago.* Nec aliud Chrysostomi illa verba volunt, ubi inquit, *Hæc symbola sunt, quib. ora hereticorum obstruimus. Symbola enim sensibilia ac verè corporea, veritatem corporis Dominici visibilis, palpabilis, deniq. verè humani arguunt.* Rotunde verò Cyrillus non aliam esse in Sacramento hoc, quàm in expositione fidei, rationem corporis Christi demonstrat, & qui Ecclesiæ sensus de mysterio fuerit, liquido ostendit, cùm sensibile corpus, visui ac tactui subjectum in ipso mysterio esse dicit. Cujus verba ad obturandum tibi os, qui è diametro contrarium asserere præsumis, integra hîc ascribam. *Jure igitur sanctæ congregationes, inquit, die octavo in Ecclesiis fiunt, & foribus sublimiore modo clausis, visibiliter simul atq. invisibiliter Christus omnib. apparet: invisibiliter quidem ut Deus: VISIBILITER AUTEM IN CORPORE. Præbet enim nobis carnem suam TANGENDAM, ut*

firmiter credamus, quia templum veré suum suscitavit. Quód autem mystica benedictionis communio, resurrectionis Christi quedam confessio est, verbis ipsius probatur. Fractum enim panem distribuebat, dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, in remissionem peccatorum. Participatio igitur mysterii vera quedam confessio & commemoratio est, quód propter nos, & pro nobis dominus & mortuus sit, & revixerit, & divina nos benedictione propter hoc replet. Fugiamus igitur infidelitatem post TACTUM Christi, &c. In Joan. lib. 12. cap. 58. enarrás hoc, quód Christus octavo die præsenté Thoma ad discipulos rediisse memoratur Joan. 20. Aperi quæso oculos, Hofimanne, & si tibi cognoscendi cupido est, velex his verbis cognosce (clarissima enim sunt) quomodo veteres corpus Domini nostri in mylterio considerarint, id est, quam longé á vestro phantásmate de conditione insensibili abfuerint; quódque ne per somnum quidem ipsis in mentem venerit diversus ille, quem tu nobis obtrudere conaris, respectus. Idem in illa verba Christi ad Mariam Magdalenam, Noli me tangere, Joan. 20. de xaluz quæ-  
 vos locutus, quos Mariæ confert: Unde, inquit, cum baptismum receperint, quia Spiritus S. habitare in illis creditur, á TACTU & communióne salutatis Christi corporis non prohibentur. Idcirco & accedentibus ad benedictionem mysticam ministri mysterii magna voce clamant, Sancta sanctis; solis sanctificatis spiritu TACTUM & sanctificationem corporis Christi congruere significantes. In Joan. lib. eod. 12. cap. 50. in fine. Ecce rursus, sine dubio, ut ne tu qui-

tu quidem inficiari possis, figuratè, id est, sacramentali phrasi loquentem, & corpus Christi in Cœna sensibili consideratum ab Ecclesia, omnium planissimè iisdem verbis demonstrantem. Quæ cum Hofmannus velut clausis oculis prætervehatur, an quid aliud, quam obstinatam pertinaciam profligatamque conscientiam suam nobis declarat? Clarior verò etiam locus apud Theodoretum est, dialogo 2. ubi prolixè de mysterio toto, deque typi ad archetypum ratione disseritur, veterum sensum hac in re apertissimè ob oculos nobis ponens, teque cum phantasmate tuo commentitio confundens. Nam cum dixisset, Symbola mystica, veri omnino corporis & sanguinis Domini symbola aut imaginem esse, & imaginem habere *ἐναργεῖς τῶ ἀρχατύπῳ χαρακτηρισ*, nec pingi nisi rerum visibilium imagines: paulò post subjungit: Nequaquam post sanctificationem mystica symbola propriam amittunt naturam. Manent enim in priore substantia, & figura, & specie, & cerni ac tangi possunt, sicut antea: intelliguntur autem, qua facta sunt, & creduntur & adorantur, quasi essent illa, qua creduntur. Confer igitur archetypum cum imagine, & videbis similitudinē. Oportet enim typū similit̄ esse veritati. Illud enim corpus priorem habet formā, & figurā, & CIRCUMSCRIPTIONEM, & ut summatim dicā, corporis essentiam. Quæ tam multa, tam evidentia si tibi nō sufficiunt, Hofmannè: quid omnino animo tuo pertinacitatis esse possit, non video. Itaque non addam plura hac de re, si unum breviter te monuero.



Tu miraculorum prætextu obrepere, & cum nobis facere in hac doctrina sacramentaria, id est, ex Sacramento hoc ingens miraculum imò πάντων τῶν θαυμάτων μέγιστον efficere conaris. At Augustinus de scripturæ mirabilibus peculiarem librum edidit, in quo id genus rerum, quæ admirationem merentur, rationemque nostram superant, comprehensa sacris literis, diligenter persequitur: Et Nazianz. Gregorius de miraculosis Christi operibus *Κατάγµα* conscripsit. Quid verò tam stupendum, quàm id, quod tu tuo *παραδόξῳ* de corpore Christi comprehendis? Quid omnino in ejusmodi rerum catalogum referri dignius? imò, quid absurdius, quàm omissuros illud fuisse autores hos, si vel minima suspicio ejus sententiæ in veteri Ecclesia viguisset. Sed auctores hi nullam ejus mentionem vel verbulo fecerunt. Similiter, si tecum hac in parte sensissent veteres, quod tu videri vis; age dic mihi, quod proclivius argumentum pro phantasmate suo habere potuissent hæretici, veritatē corporis in Christo negātes, quam hoc ipsum? quæ eos causa retinere potuisset, quo minus eo uterentur frequenter, cū aliis rebus multo minus speciosis, atque ipsorum fabulæ idoneis tam crebro ac pertinaciter deprehendantur esse usi? Nulla sanè, quam tu nobis probare possis. Concludimus ergo, de tali miraculo ac paradoxo tam stupendo, quod vos venditatis, ne somniasse quidem quicquam illam ætatem: imò hoc sensisse, & non abs re sensisse, quod

Leo Romanus diserte testatur Epistola 13. *Frustra prorsus vos communicare, id est, mysterio uti, qui corporis humani proprietates in Christo insiciamini, nullamq; ejus corporis habere participationem, cuius abnegatis veritatem.*

Sic demonstratum satis & contra te evictū, *Conclusio priora.* veritatem corporis Christi extra proprietates dictas non constare: quod sublatis proprietatibus naturæ veritas tollatur, ut habet regula Synodica: idque non absolute solum, aut eo respectu, quo corpus in articulis fidei á fidelibus consideratur: sed etiam in ipsa ratione Sacramenti. Quibus positis, quæ deinceps dicit Hofmannus ad minorem Syllogismi, atque ad alterum argumentum meum de contradictione, facile vel per se evanescent. Videamus tamen Prothea, recitato responso ipsius, in omnes se formas vertentem. *Ad minorem, inquit, respondeamus. Non dissiteor, quod doceamus, corpus & sanguinem Christi in omnibus illis locis esse, simulq; & semel presentia exhiberi & sumi, in quibus elementa benedicta secundum institutionem Christi porriguntur & sumuntur. Cumq; in externa sumptione nec videndo nec palpando presentiam probare possimus, corpus & sanguinem Christi invisibiliter & impalpabiliter in sacra Cœna cum pane & vino sisti profite-mur, idq; propter deficientem sensuum nostrorum in externa perceptione probationem, & verborum Christi inviolandam religionem. Lepidum sané caput, sua somnia nobis velut gravissima oracula appendens, tantumque recensens. Quæ si satis refutata in priorib, non sunt; si cum iis, quæ*

*De minore Syllogismo.*

ex sacris literis, ac patrum scriptis, evidenter probata nobis sunt, stare conciliarique possunt: si Cyrillianis postremis & cæteris congruunt: nos quoque illa venerabimur. Sin minus, meritò faceßere eum cum dictatis suis iubeamus. Sed pergit ulterius. *Quòd autem,*

*Idem corpus  
vero circumscriptum  
sicut  
& multi-  
presens  
eundem Hofmannam.*

*inquit, præterea & eundem ob causam incircumscriptum & indimensum corpus Christi doceamus, illud mihi imputari non patior. Sicut enim Christus corpore suo factus, de loco tamen ad locum perrexit, ut Johan. 8. aperte scribitur: ita non sequitur, si invisibiliter adsit in Cæna corpus Christi vel etiam impalpabiliter, quòd ideò reliquas etiam notas non habeat, & propterea incircumscriptum adsit. Sic non recipio, quòd corpus Christi ideò necessariò incircumscriptum sit, (sic enim legi debere conjecto, quamvis circumscriptum in libro excuso sit: sensus enim hoc requirit) quia nostra confessio statuat, istud pani localiter non includi, vel quòd pluralitas locorum interveniat: Quid enim obstat quò minus circumscriptum adsit, quòd tamen localiter non includatur? Hæc verba ipsius. Quibus probandi aut exponendi causa ex miraculis, sed valde perperam, ut jam demonstratum antè est, aliquid addit: deinde & titubationem suam hac in parte, confessus nescire se, quid certum teneat, prodit. Postea hoc tamen docere se confidenter profiteretur: nullam proprietatum, quæ recitata à nobis sunt, veritatem essentiæ corporis ita cõstituere, quin, sublati illis, veritas corporis nihilominus integra maneat: quòd à nobis falsitatis manifestæ in prioribus est convictum. Postremò*



Postremó ita dicit: *Minorem igitur cum dicta moderatione intelligere oportet, ut Dei omnipotentia liceat quod ipsi libeat, non quod ratio decernat. Interim tamen posito casu, quód nulla notarum earum maneat; in maiore probavimus, manere tamen verum corpus.* Itaque malé inde concluditur, quód verum corpus Christi, per doctrinam de presentia ipsius in cœna aboleamus, &c. Hic mihi vide, lector, id quod anté attigi, titubantem & trementem Hofmannum; nec satis certum, ubi consistere tutó possit. Ita se respondendo á maiore mei syllogismi ad minorem, á minore rursum, ubi satis fidere loco isti non audet, ad maiorem fugitans recipit: *παράδοξον* conciliatæ multipræsentia cum circumscriptione, omnium impudentissimum ac falsissimum, velut per fugium extremum, errore forte mentis, dum satis in eo terrore quid tutum sit nō perspicit, temere arripit inde rursú, periculo observato, ne præcipiti locó circumveniri atq; intercipi se sinat, receptum, quo in liberum campum rursum evadere, ac fugitando persequentes eludere queat, meditatatur ac parat: cum suis se stare vellet, ac consensum cum iis rueri, quod prius vidimus, magnificé jaçtat; hinc timore præpeditus, ob contradictionis vim, in definitiva præsentia eos deserit, fugæq; se mandat: hæsitat, vacillat, tremit: consistere parat, denuo fugit, omnia timet ac suspecta habet, Dei omnipotentiam passim pro scuto objicit, post quod latitet: postremó in *παράδοξον* illo, de quo dixi,

maximé pedem figere videtur. Nam & antepenultimo folio idem repetens, sic dicit: *De circumscriptioe sublata non est probata accusatio. Non enim satis est ad negandam circumscriptioem corporis, quód in pane vel loco panis non includatur: pluraque, quæ subijcit. Sed veré ei accidit, sicut dixi, quod perterritis ac trepidis solet, ut in consternatione, dum cuncta timent, eum locum omnium tueri possunt. Quid enim alienius ab omni veritatis ratione, quid absurdius non solum Physicæ, quod ipse agnoscit, sed etiam Theologiæ, quàm hoc ipsum corpus videlicet ita multipræsens, ut sacramentaria definitio habet, & tamen veré ex ingenio corporum, & quidem corporum humanorum, circumscriptum. Quod ut manifestum omnibus fiat, primúm abs te etiam hoc loco quæro, Hofmanne, (denuó enim mihi compellendus es) quod vanitatem tuam arguere potest; an non memineris, gloriatum te esse de consensu tuo in prædicato propositionis sacramentalis, cû vestratib. theologis reliquis, imprimis veró cû domino Luthero? contestatum etiam, á Formula concordie te nolle dissidere? At veró Lutherus (quod toti mundo notum est) inter omnipræsentiam corporis, quæ vera Ubiquitas est, & præsentiam definitivam incertus fluctuavit, eaque fluctuatio incerta in Formulam concordie quoque traducta, & velut sancita propagataque ad posteros est. Unde vos, qui auctoritatem ejus & nomen præfertis, in duas potissimum*

potissimum partes secessistis. Ad definitivum autem modum tandem ipse in Cōfessione parva adhæsisse videtur. Nam & cum Pontificiis se planè facere in hac re, & definitivè corpus Christi præsens esse in pane, disertis verbis se credere profiteretur. Atq; ad hanc sententiam plurimi vestrū, quos Ubiquitatis pudet, se aggregant. Sed definitivus ille modus à circumscriptivo verè dissentit. Repugnant enim inter se, ut & unus esse alter non possit, & ubi unus est in subjecto, subjectumq; verè afficit, illic alteri simul locus non sit: Et quod alicubi definitiva præsentia est, id simul circumscriptiva non est nec esse potest. Sunt enim diversarum naturarum insitæ notæ, aut naturales proprietates, quibus istæ inter se verè ac re ipsa differunt, interque se discernuntur: Spirituum nimirum & corporum. Quod si negare præsumes, antiquos majorum terminos movere, ac nova condere principia tibi licere præsumes. Et ut tu maximè tam impudens sis, ut hoc facere velis: nos tamen & quotquot liberæ ac sanæ mentis sunt, ut tibi dictanti assentiamur, efficere non poteris. Igitur à Luthero primū dissentis, conspicuaque in eo vanitas tua est, qui nihil tibi ab eo diversum esse jactasti: deinde aut Lutherum in eo lapsum esse, cum definitivum modum essendi corpori Christi in Cœna ac pane assignavit ad multa absurda redimenda, quæ circumscriptivum, qui corporum solidorum est, comitantur; id quod tibi religio est: aut te falsum hîc dicere, qui pro-

*Definitivus  
præsentia  
modus à cir-  
cumscriptivo  
dissentit,  
unusq; vera-  
tur alterum.*



finitivo circumscriptivum substituis, velis nō-  
 lis, cogeris confiteri. Atq; hīc lectorum judi-  
 cia appello. Qua in re major sanē & pruden-  
 tia & candor ceterorum est, quos tu fratres tu-  
 os, tecumq; consentientes vocas: qui necessi-  
 tate consequentiæ animadversa, exemplo Lu-  
 theri, circumscriptionem aut præterierunt, at-  
 tingere eam non ausi, aut ut multipræsentia  
 ē diametro adversam, palam rejecerunt. Te-  
 stimoniis adductis nō opus esse reor, in re tam  
 manifesta. Itaq; ulterius progrediētes in ipsam  
 arcem rei invadamus. Tu corpus Christi, quod  
 nostri generis esse fateris, in cælo simul & in  
 terra realiter esse, & utrobique totum esse, item,  
 idem per terræ orbem innumeris simul in lo-  
 cis longo intervallo distitis esse, in quibus cæ-  
 na Domini ritē celebratur apud Indos, Hispanos,  
 Aphros, Scythas, Græcos, Italos, Æthio-  
 pas, Seres, rursusq; in singulis his locis totum  
 esse, itē, in omnib. benedictis crustulis panis,  
 quæ in sacra actione traduntur sumunturq; in  
 mensa, in manu, in ore esse, ac rursus in uno-  
 quoq; totum esse; extra verò symbola illa, ex-  
 traq; sacrae actionis locum non esse, nunquid  
 non confiteris? Imō hoc tu modis omnib. pro-  
 pugnas. Et tamen idem hoc corpus tum in cui-  
 ctis his locis simul (id enim dicere recte co-  
 git) tum in singulis symbolis vis esse circum-  
 scriptum ac dimensum: id est, ista tam admira-  
 bili multipræsentia conditione, circumscri-  
 ptionem ac dimensionem non everti, nec rur-  
 sum

sum circumfcriptione ac quantitate multipræsentiam impediri. O *Quid d' ego* omnia paradoxa absurditate superans! Tantum enim valet, ac si diceret, unū & multa esse idē, nec se mutuo negare: nec rectē sequi, Unus modō Deus est, Ergo non sunt dii plures: nā plures & unum se mutuo non evertere. Item falsum esse, quod in Dialectica traditur, duō contraria se invicem pellere, nec locum habere in uno eodemque subiecto simul posse. Quod si locum apud nos semel inveniatur, ut ejusmodi opposita simul admittamus, sane nulla hæresis tam crassa inveniretur qua refutari possit. Ego verō Hofmannē, ne quidem cum definitivo illo præsentiam modo in uno solum crustulo, nedum cum incredibile illa multipræsentia tua circumfcriptionem veram corporis humani, cujus ea nota propria est, constare posse in hujus myserificatione, contendo. Quod mecum sentientes, quotquot fere vestrarum partiam sunt, Theologi, localitatem circumfcriptionis individuum comitem tam diligenter avertere à dogmate suo, & protestando procul amovere studuerunt: imō quod has admittere conditiones non possent, ideo ad oppositum illum modum definitivum se contulerunt: quem modum admittere, imō ponere omnino sciebant ea, quæ istis conditionibus plane sunt adversa. Nam definitivus præsentiam modus conditionem sensibilem, quantitatis rationem omnem, partes, formā, dimensionem,

*Quanto melius faceret Hofmannus, si obsecratus salutaris consilio, de quo ipse & Heubstius Ubiquitarios monuerunt in Colloquio Quædemb. Melius esse, ubi longius in aliquo progressus, admonitum regrediri, & errorem agnoscere, quam pertinaciter incepto perseverare: declarant, utique se paratos esse ipsa in causa, si erroribus continerentur, ita facere. Sic omnibus his incommodis abstrusis carere possent.*

locale spacium excludit, & totam rei essentiam  
 in toto simul & qualibet totius parte ponit.  
 Cujus beneficio, non per veritatem, sed per fi-  
 gmentum vestrum, totum hominis corpus ex-  
 utum quantitate sua omni, cum grandibus of-  
 sibus, ut vos loqui non veremini, sub breve  
 crustulum redigi potuit. Circumscriptio vero  
 quid? ejusmodi, inquam, quæ proprietates natu-  
 ralis corporis humani est, & qualem corpori  
 Christi etiam glorificato, ac in cælum subve-  
 cto inesse in argumentum veritatis naturæ ab  
 orthodoxa Ecclesia veteri ex sacris literis con-  
 stanter assertum, & evidenter probatum est.  
 Nempe cuncta hæc secum trahit, loci certum  
 spacium, quantitatum modum, ac dimensio-  
 nes, partes partiumque positum ac figuram,  
 quinetiam ipsam conditionem sensibilem.  
 Quæ si tu conciliare cum prioribus potes, ut  
 tibi sana mente homines assentiantur; si cum  
 ejusmodi circumscriptio corpus Christi sub  
 panis crustulo concludere (noli indignari  
 Hofmanne, vestrorum illa phrasia est, non à  
 nobis inventa) id est, vere in pane & non extra  
 panem, ita ut vestrum habet dogma, ponere  
 scis, ego tecum amplius non contendero. An  
 verò, ut hæc, quæ diximus de circumscriptio-  
 nis conditione, testimoniis antiquitatis asse-  
 ramus, opus habemus? Si de locali spacio he-  
 sitas, Augustinus & Cyrillus te certum facere  
 possunt, quorum ille spacia locorum cum cor-  
 poribus inseparabiliter copulat; hic & locum  
 perpetuò cum circumscriptio, & circum-  
 scriptionem



scriptionem vicissim cum corpore quadam necessitatis lege devincit, ut ex iis, quæ citata ex utroque prius sunt, clarum est. Si de loco & dimensionibus vel quantitate simul, iidem docere te queant; quorum prior, nullam corporalem naturam totam in duobus simul locis esse posse, lib. 22. de civitate Dei, cap. 29. nec corpus esse nisi quod per loci spacium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, & breviori brevior, minusque sit in parte quàm in toto, Epistola 28. ad Hieronym. affirmat; alter, quod partibile, id corpus; quod corpus, id omnino in loco, & in magnitudine & quantitate esse; & quod quantum sit, id circumscriptionem non effugere, lib. 2. dialog. Item, Quod divina natura incorporea est, eam omnino causam & quantitate & circumscriptione & magnitudine & situ secundum locum carere, lib. 7. dialog graviter pronunciat. Optimeque hoc idem Athanasius ostendit, cum velut *ἀεὶ καὶ ὅπου* illam corporum descripturus ait, *Ejus est ire & venire, qui aliquibus locorum terminis circumscribitur.* Et Didymus quoque, cum dicit, *Et si non circumscribantur locis & finibus invisibiles creature, tamen proprietate substantiæ finiuntur.*

Et Fulgentius, cum Christum ut hominem localem esse, & localiter terram deserere scribit. Et Vigilus, cum eundem Christum secundum corpus loco circumscribi ac loco contineri ait, & ea conditionib. deitatis opponit.

Rurfus de forma aut figura, & conditione  
 fenfibili fi ambigis, Hieronymus prolixé te-  
 erudit ad Pammachium: Et breviter, fed ro-  
 tundé Auguftinus, ubi fcribit: *Sic venturus eft,  
 illa angelica voce testante, quemadmodum ire vifus  
 eft in cælum, id eft, in eadem carnis FORMA &  
 fubftantia: cui profectó immortalitatem dedit, na-  
 turam non abftulit.* Epiftola 57. ad Dard. Item,  
 Ego proinde Domini corpus ita in cælo efle credo, ut  
 erat, quando afcendit in cælum: additque ftatim,  
 quibus docet, fuiſſe tum vifibile & palpabile,  
 ac tale omnino ad iudicium rediturum. Epi-  
 ftola 146. ad Coſſent. Item: *Quoties de forma  
 ſervi in Chriſto cogitas, ſecundúm quam paſſus eſt, re-  
 ſurrexit, afcendit in cælum, & in eadem forma redi-  
 turus eſt ad iudicium, humanam effigiem cogita, ſi  
 eſt in te fides.* In Joan. tract. 40. Et plura  
 ejus generis ſupra ſunt recitata. Omnia au-  
 tem connectit & ſimpliciffimé abſolvit uno  
 loco Theodoretus, ubi ſcribit: *Et ſane poſt re-  
 ſurrectionem circumſcriptum viſum eſt corpus Domi-  
 ni, & manus habens & pedes, & reliquas corporis  
 partes, & tangibile erat, & vifibile.* Dial. 3. ſub  
 finem. Et alio loco: *Etenim illud corpus  
 priorem tenuit formam, & figuram, & circum-  
 ſcriptionem, & breviter dicendo, ipſam corporis  
 eſſentiam.* Dial. 2. Hæc veró velut expo-  
 nens, ne qua reſter hæſitatio, ſic ait: *Didici  
 à ſanctis angelis, quód veniet eo modo, quo viderant  
 ipſum diſcipuli euntem in cælum: Viderunt autem  
 circumſcriptam naturam, non incircumſcriptam.*  
 Audi

*Audivi etiam Dominum dicentem, Videbitis filium hominis venientem in nubibus caeli: Et novi, quod ab hominibus videtur, id esse circumscriptum: NATURA ENIM INCIRCUMSCRIPTA EST INVISIBILIS. Illud etiam, sedere super sedem gloria, & statuere agnos quidem á dextris, haedos veró á sinistris, circumscriptionem denotat. Et quod pauló póst in eandem sententiam subjungit: Ecce video caelos apertos, & filium hominis stantem á dextris Dei. Vidit autem eam que videtur naturam, non eam que sub aspectum non cadit. Dial. 2. Manifestum ergo est, quod de circumscriptionis conditione alias secum condiciones trahente fuit dictum: idque Damascenus non obscure porró confirmat, cum de imaginibus disputans, hoc ἀξιωμα ponit: Quod corporis expers est, quod neque oculis videtur, nec circumscribitur, nec formam habet; ejus nulla potest esse imago. Nec est, quod ad miracula refugas, quæ híc locum non habent: aut aliam in Sacramento hoc corporis Christi rationem nobis, fuci faciendi causa, commenteris. Id enim quám perperam á te fiat, quámque á veritate atque sensu orthodoxorum patrum alienum sit, supra tibi demonstravimus.*

*Porró: Umi eidemque subjecto, quæ inter se*



Contraria sunt, simul accidere non possunt, inquit  
 Cyrillus lib. 2. cap. 3. in Johan. Et, Una na-  
 tura contrarium quid & diversum non recipit in se  
 ipsa, ait Vigil. lib. 4. Item, Unica natura contra-  
 riarum essentialium differentiarum capax fieri non  
 potest. Contraria verò ejusmodi ac diversa  
 inter se sunt, modus essendi alicubi definiti-  
 vus, & modus circumscriptivus. Ille enim  
 nature spirituali, hic corporeæ proprius est; &  
 per hos velut notas proprias ac naturales, na-  
 turæ istæ inter se discernuntur; in his agno-  
 scuntur, per eos definiuntur. Quæ nobis  
 cum antiquitate veneranda tamdiu certa ac  
 indubitata erunt, donec tu contrarium nobis  
 probaveris. Quare si definitivus modus præ-  
 sentia corporis Christi in pane verè est; cir-  
 cumscriptionem simul esse eodem in subje-  
 cto, credi nec potest nec debet, imò ab eo-  
 dem subjecto abesse necesse est. Atque his  
 tam certis ac dilucidis obscurandis convel-  
 lendisque, divinæ potentia nomine abuti;  
 quid aliud est, quam quibuslibet vanissimis  
 somniis & mendacibus figmentis eam ipsam  
 potentiam patronam advocare? Jam ve-  
 rò si cum definitivo modo vel in uno pane &  
 loco circumscriptio stare haud potest; cum  
 portentosa vestra πολυταπία, aut πολυταπεινή  
 quomodo stabit? De qua priusquam dicam,  
 percōtari te libet; cum tu corpus Christi simul  
 in cælo & terra verè secundum essentiã præfens  
 statuas, an etiam eo spacio, quod inter cælum  
 & ter-

*Multipre-  
 sentia cir-  
 cumscriptio  
 repugnat,  
 nec simul  
 cum hoc sta-  
 re potest.*

& terram intercedit, corporis ejusdem essentiam ponas? deinde, cum quamplurimis & disjunctissimis in locis per terram idem corpus realiter constituas, & ubique totum constituas, præterea singulis etiam in panibus benedictis idem verum esse velis: an etiam locis intermediis, in quibus nulli cætus piorum aguntur, neq; actio sacra celebratur: item an extra sacra symbola essentiam ejusdem corporis præsentem esse, eaque spacia implere ex animo credas? Si ponere & credere te respondes: cogita quæso, quale nobis corpus Servatoris nostri inducas, tot & tam longo intervallo separata loca continua essentia conjungens atq; implens, quod tamen nostris corporibus cõforme credere, ex sacris literis tenemur: deinde & quid tibi causæ ac rationis esse possit, cur hoc monstro admissio, in Ubiquitate justè tergiverferis? Sin contrà te sentire dicis: vide quomodo evitare possis, quin aut plura corpora Christi immensis intervallis disjuncta, aut unius corporis procul inter se distantes ac separatas partes, similiaque complura absurda, cum eo sensu connexa, aut denique corporis in naturam divinitatis factam conversionem cogaris admittere. Sed his tibi remissis, quod propositum erat, agamus. Igitur quod de definitivo modo circumscriptionem evertente jam dictum est, id hîc quoque locum habet: imò tanto hîc evidentius ac validius est ad circumscriptionem elidendam, quantum multiplicitate tum contrarietate ea, quam cum cir-

*Verè hîc contra Hofmannum dici potest, quod ipse & Heshusius in Coll. Quæst. delib. contra Chemicisism & collegas eius, Ubiquitatis nomen odiosum recusantes: Nominis invidiam declinat, rei absurditatem retinetis.*

cumscriptioe habet, tum ipsa sua absurditate definitivum modum superat. Quod ipsa res testabitur.

*Adversa in eodem subjecto simul esse non possunt, praesertim idiomatica naturas denotantia & discernentia.*

*Talia autem sunt, realis multipresentia & circumscriptio.*

*Ergo eodem in corpore veré simul esse non possunt.*

Tu veró, Hofmanne, pro multipresencia corporis ejusdem asserenda, velut pro aris & foris depugnans: quare circumscriptioem te missam facere necesse est. Quid tu? hujusne argumenti majorem propositionem negabis? à disputatione, ut principia indubitata negans, excludendus es, aut etiam ad agnatos ducendus, si id feceris. Assumptionemne? nullam bis existimo: Quapropter eam, expositam prolixius, liquidam dabo. Et circumscriptio quidem corporum, de qua hic agitur, quam naturam habeat, quæ secum trahat, sine quibus esse non possit, antè est expositum. In his sunt, locus aut localis ambitus, vel comprehensio, quantitatis modus, sensibilis conditio. De loco & quantitate patres hoc docent, eó quód assiduó hæc cū circumscriptioe connectunt, ac quasi cognata uná cum eadem corpori pariter velut proprias ingenitasque notas attribunt, ut videre licet in iis, quæ ex Cyrillo potissimum & Theodoro paulo antè adducta sunt. Quanquam, nisi pertinaces simus, res ipsa per se evidens sine patrum testimonio hoc etiam



etiam satis demōstret. Sed quia pertinaciæ ob-  
viā eundum, breviter ita porrō hoc astruimus.

*Omne corpus est quantum:* quod Cyrillus, The-  
odoretus, Augustinus disertis verbis te-  
stantur.

*Omne, quod loco circumscibitur, est corpus:* quod  
ex verbis Didymi conficitur, quibus di-  
cit, *Et si non circumscibantur locis & fi-  
nibus invisibiles creaturæ, tamen pro-  
prietate substantiæ finiuntur.*

*Ergo omne, quod loco circumscibitur, est quantum:*  
quod erat probandum.

Et rursus:

*Omnis vera circumscriptio corporis, qualis est, de  
qua hic agitur, quæ est vera nota aut naturalis  
proprietas corporis, quid est, nisi localis quidam  
ambitus aut terminatio corporis, quod corpus  
certum loci spacium sibi æquale occupat.* Hoc  
enim & Didymus iisdem illis verbis do-  
cet, & Athanasius ostendit, cum ait: *Ejus  
est ire & venire, qui aliquibus locorum  
terminis circūscibitur.* Et Vigilus aper-  
tissimè declarat, cum de hac re loquens,  
jam circūscribi loco, jam loco contine-  
ri carnē Christi dicit, eaq; de circūscri-  
ptione promiscuè usurpat, opponit ve-  
rō iis, loco non capi. Et Fulgentius, qui  
eamdem conditionem corporis localem  
vocare in more habet; ne quid de Theo-  
doreti & Augustini lucidissimis testimo-  
niis hīc dicam. Quæ si tibi minus  
placent, Hofmanne, age tu nobis

circumscriptionem melius describe; & si ab hac sententia recesseris, quomodo eam á definitivo modo discernere possis, expone. habebis nos dociles discipulos.

*At localis ille ambitus sine quantitate & dimensionibus non est. id est, certum loci spacium eo modo non occupat, nisi quod quantum est.*

*Ergo omnis vera corporis circumscriptio, á quantitate ac dimensione separari non potest. Aut si Soritæ forma non placet, idem hoc modo exponamus.*

*Nulla occupatio certi spacii localis, est sine quantitate ac dimensionibus.*

*Sed omnis vera corporis circumscriptio, comitem habet occupationem certi spacii localis, aut eam presupponit.*

*Ergo nulla circumscriptio est sine quantitate & dimensionibus.*

Hujus veró syllogismi assumptio, uná cum prima propositione in Sorite, etiam ita probatur:

*Aut falsó argumentatus est Hofmannus in Apologia, charta H. 2. in fine, de circumscriptio-  
ne; aut circumscriptio est localis ambitus corporis, vel conditio talis, qua loci certi & finiti spacium occupatur. Sic enim colligit, Christus á partibus, tamen de loco in locum perrexit: Quare non valet consequentia hæc, Corpus Christi est invisibile in cœ-  
na: Ergo non est in cœna circumscriptum.*

*Sed*

*Sed male argumentatus esse Hofmannus videri non vult.*

*Ergo circumscriptio localis ambitus corporis est, vel talis conditio, qua loci certi & finiti spacium occupatur.*

De locali ratione & quantitate demonstratum est, sine iis circumscriptionem, quæ vera nota corporis sit, non esse: cum quo perire Hofmannicam circumscriptionem, quam ad speciem retentat, necesse est. De visibili conditione idem unico dicto Theodoretus nos docet, quod prius ascriptimus: *Viderunt discipuli circumscriptam naturam, non in circumscriptam.* Et mox: *Scio circumscriptum esse, quod ab hominibus videtur: Nam in circumscripta natura videri non potest.* Deinde ostendit, ubi non sit dextrum aut sinistrum, ibi circumscriptionem non esse.

At verò multipræsentiaë monstrificæ quid horum inest? Localisne illa ratio? an quantitatum modus, ac dimensiones? an sensibilis conditio? An non potius cuncta his contraria? Sic enim ipsi vestrum id figmentum definitis, quod sit illocale, sine quantitate & dimensione, sine visibili & palpabili conditione. Et licet tu (ut versipellis es) mussare non nihil obscurissimis verbis, id est, alibi ob penetrationem alterius corporis solidi cessisse dimensiones, ac reliquum quantitatum modum, ut in explicatione miraculorum citata é patribus, itemque in admissione definitivi modi, qui id secum trahit, alibi, ut ex angustiis, quas tibi contradictionis lex circumdat, evadere possis, non tam dicere,



quám innuere contrariúm videaris: tamen vestrorum, quibuscum te consensum colere gloriaris, hanc fuisse hactenus sententiam, quam consequentiæ necessitas iis expressit, toti mundo est notum. Qui enim definitivum modum dicit, hoc quoque dicit: de quo ad omnes sanæ mentis homines provoco. Eum autem modum non vulgus solum vestrate, sed ipsi quoque Concordiæ vestræ autores & patroni profitentur, ut & in Formula & in Apologiæ ea parte, quæ contra Neostad. est cap. 7. pag. 150. licet videre. Nec ignotum est, quod ex hoc velut principio, eoque ratiocinando progressi sint complures, ut exemplo corporis Christi, beatorum quoque hominum corpora glorificata, posita quantitatû dimensione ac modo, in eum statum redactum iri suspicetur, quo spirituum instar multa simul in eodem omnino loco esse, imo cum aliis corporibus solidis & crassis idem loci spacium tenere possint. Et quid refert: cum res sit perspicua, cum sensus vestrorum manifestus: quid tu velut novo ex antro progressus somnites? Quod dimensiones corporis, & quantitatem cum circumscriptione interdum connectere, ac indivisas tenere velle videris, id sanè vehementer probo. Nam res hoc postulat, & quædam necessitas, idque modis omnibus asserere contra te conitor. Sed dimensiones secundum longum, veniunt, etiam in quolibet uno crustulo panis, cujus magnitudo & forma jam corporis Christi figura & accidens fieri & esse à Selneccero vestro

vestro dicitur, nedum in portentosa illa multipresencia, incolumes atq; integras fingere, id non portentosum solum, sed planè furiosum esse censeo. Nam simile id fuerit, ac si quis Christum secundum naturam humanam spectrum modò fuisse, & simul tamen verum ac nostri generis hominem, carnem & ossa habentem, & fuisse & esse dixerit, ac utrumq; simul verè se dicere posse contenderit: id est, verum & falsum idem esse, & contraria nihil differre affirmari. In quo, qui tibi assenserit, eum mente captum esse, ac planè nil sentire dixerò. Nam ad dimensionem panis, ac spacii ejus quod attinet, si eò te subdole referre voles: sanè manifestum est, panis ac spacii illius eam quidem esse, sed ad corpus, de cujus conditione agitur, nihil pertinere. Concludo ergo, cum circumscriptio corporis sine sensibili statu aut figura, sine quantitate mensurabili, sine loci æqualis spacio non sit; eadem vero ad multipresenciam non faciant, imò illi adversentur: hanc quoque circumscriptio adversam esse, ideoq; in eodem cum ea subjecto simul sedè habere haud posse. Idem verò & positus partium ac forma docet. Nam & hæc circumscriptio connexa sunt, ut tum alii, tum Theodoretus demonstrant, & in informi multipresencia locum non habent. Contraria ergo illa, ac se mutuo pellentia. Quid? quòd circūscriptio hæc quæ corporis nota est propria, respectu unius corporis unum

*Similima hæc sunt illi, quæ à Chemnitzo, Selneccero, Kirchnero in Apologia Eusebii scripta, & in Quædemb. Colloquio dicta assertaque sunt, carnem Christi in distantia complexu conjunctam cum λόγῳ, non potestate ac dominatione solum, sed etiam secundum substantiam suam unam cum eodem λόγῳ omnibus creaturis presentem esse & omnia implere; & tamen eandem in Sole, Luna, stellis, lignis, lapidibus, elementis, quoad essentiam, non esse, sed*

*tantum in celo ac cœtu fidelium. Quæ pugnantia esse, atq; ideo simul stare non posse, rectè cum Heshuffo suo Hofmannus agnovit, meritoq; confusionem illam reprobavit. Cur igitur eadem illa, quæ istis reprehendit, hic idem usurpat?*

modó locum supponit, commensuratum  
 quantitati corporis locati: Unde Augustini il-  
 la, de loco uno, & de aliquo cæli loco propter  
 veri corporis modum: Πολυτοπία veró, seu mul-  
 tipræsentia vestra cōmentitia locos multos, &  
 procul inter se dissitos, varia admodū ratione.  
 Dissident ergo inter se non aliter ac unitas &  
 pluralitas, & quidem pluralitas multiplicata  
 prope in infinitum. Quæ si quis vim habere  
 eandem ac inter se conciliare posse contende-  
 rit, is inter Est & Non, inter atrum & album,  
 inter principium & finem, discrimen ampliús  
 non superesse, inter fidem de uno Deo & fa-  
 bulam de diis infinitis nihil differentię restare,  
 & utramq; simul nos amplecti sine vitio posse  
 pari ratione probarit. Rursumque hoc loco te  
 moneo, Hofmanne, tecum ut expēdas serió, si  
 πολυτοπίαν negare & effugere vis, in quantam  
 περιεργασίω, quam te tueri velle profiteris, incur-  
 rere te necesse sit, cælum terramque conjun-  
 gentem: sin hanc recusas, & ad panis spacia ac  
 dimensiones te refers, eaque ad corpus Christi  
 traducere conaris, in quod circumscriptiones  
 intervallis distinctas, atq; ita, quoniam unius  
 corporis una modó circumscriptio compe-  
 ri te dixisti) vel invitum te recidere oporteat.  
 Ita dum temeré declinandæ contradictionis  
 causa aliquid affirmas, quod fieri in mala causa  
 solet: in plurima alia incommoda inextricabi-  
 lia te præcipitas. Adhæc circumscriptio, de  
 qua disceptamus, nota est vel naturalis pro-  
 prietas



prietas corporis finiti, ut prius est demonstra-  
 tum: multipræsentiã verò, *ἰδιωμα* naturæ di-  
 vinæ infinitæ, ut Cyrilli, Didymi, Augustini,  
 Ambrosii de Spiritu sancto argumentationes  
 convincunt. Et quomodo diversissimarum na-  
 turarum *ἰδιώματα* opposita, rei uni simul verè  
 tribui poterunt? cùm una natura contrarium  
 quid & diversum, ut ait Virgilius, non reci-  
 piat. Et ne in eo tergiverferis, quod dixi,  
 multipræsentiã *ἰδιωμα* divinæ naturæ esse, ac  
 argumentationibus illis patrum, quanquam  
 perspicuis & validis, tamen satisfieri tibi non  
 patiaris: sic tecum porrò cogita. Totum in  
 cælo esse, & totum in terra, non alternis tem-  
 poribus, sed utrumq; simul, Dei proprium est:  
 idem verò corporeæ naturæ impossibile, ut  
 Augustinus docet in lib. de civitate Dei. At  
 tua multipræsentiã subjectum suum totum in  
 cælo, & totum in terra simul eodemque tem-  
 pore ponit. Numquid non? Ergo divinæ na-  
 turæ *ἰδιωμα* est. Cui argumento plano & sim-  
 plici, tibi facilius est impudentibus sophisticæ  
 verbis obstrepere, quàm rationes opponere,  
 quæ conscientiæ tuæ & aliorum satisfacere  
 possint. Et ut etiam adversante conscientia  
 in hac parte restites: negare tamen non pote-  
 ris, quin eatenus illud, *totum in cælo, totum in  
 terra simul*, circumscriptioni, quæ proprietas  
 corporis omnium certissima est, Augustinus  
 opponat, ut simul in eodem subjecto hære-  
 re non possint. Ideo enim illud corpori impossi-  
 bile esse pronunciat, quia proprietas naturæ

corporeæ, circumscriptio, id non patiatur. Et quid quæso tu in medium adferes, quo maiorem illam propositionem ex Augustino productam infirmare possis? quid dabis, quod illud possit, quod Deo competere Augustinus dicit? Nam angelis si hoc tribueris, ab omnibus quibus sanâ mens est, exploderis. De corpore verò Christi, cui conformia futura sunt corpora nostra, ut hoc probes, ne tentare quidem potes sine ineptissima principii petitione; de qua jam antè satis tibi respondi.

Postremò de multipræsentiâ pugnante cum circumscriptiõne, atque eam negante, breviter & rotundè rem absolvit Didymus, ita dicens: *Spiritus sanctus cum in pluribus sit, non habet substantiam circumscriptam.* Item: *Si ergo Apostoli in extremis finibus terræ, ob testimonium Domini, constituti distabant inter se longissimis spatiis, aderat autem iis in habitator Spiritus sanctus, incircumscriptam habens substantiam, demonstratur angelica virtus ab hoc prorsus aliena.* Libro de Spiritu sancto. Quem autorem in errore versari, te demonstrare prius oportebit, quàm tuum *ἄδωξον* hoc omnium absurdissimum tueri possis. Plura nõ addam in re clarissima, ne diffidere plus quàm par sit, vel tardissimo lectori videat. Tuam autem pertinaciam vincere, qui talia contendendi studio tueri præsumis, ego mihi polliceri non ausim.

De contradi-  
ctiõne.

Restat ultimum de contradictione, vel maximum frontis tuæ atque improbitatis argumentum: de quo breviter tibi respondebo.  
Ego,

Ego, quod recte facere poteram, contradicti-  
onem in doctrina tua tibi objeceram, eamque  
rem, ut verum me objicere appareret, 22 thesi-  
bus à 38. usque ad 61. explicueram. Summa  
hæc fuit. Contradictoria, quæ verè contradi-  
ctoria sint, simul vera esse non posse. Hanc  
enim divini & humani iudicii regulam esse im-  
motam & æternam: & *ἰσομάχους* esse, qui con-  
trā niterentur. Esse autem vera contradicto-  
ria, quæ tu tua doctrina complectereris, si ab  
Eutychna hæresi verè te purgatum præstares.  
Dicere enim te, corpus Christi re ipsa dimen-  
sum aut quantum, circumscriptum, locale,  
sensibile, in cælo, in proprietatibus veri cor-  
poris subsistens, ad Eutychnianæ hæreseos su-  
spicionem declinandam, & mendacii Christo  
intentati crimen evitandum: ac rursus idem  
omnino corpus verè & realiter non dimen-  
sum aut quantum, non circumscriptum, non  
locale, non sensibile, simul in cælo & in terra  
innumeris in locis extra veri corporis proprie-  
tates constitutum, ut placitum tuum Sacra-  
mentarium tibi saluum sit: id esse tantundem  
ac si diceres, idem corpus & non corpus, idem  
corpus & spiritus. Et corpus quidem unum &  
idem numero, quod ex Maria assumptum in unio-  
ne cum *λόγῳ* personali subsistit, in utraque hu-  
jus contradictionis parte intelligi, sine omni  
pluralitatis cogitatione. Ac tēpus quoq; unū &  
idē omnino spectari. Deniq; in prædicatis utro-  
biq; actū poni, h. e. rem ipsam, quæ est: id enim  
designare particulas adhibitas, realiter & verè:



alioqui, verum sine veritate, & reale sine re  
 intellectum iri: hoc, inquam, planè velle de-  
 terminationes istas, ut *πὸ δὲ* intelligatur in re,  
 de qua dicitur, non autem de figmento cogi-  
 tatione humana concepto, quod nec sit, nec  
 esse possit: Atque ideo intelligi corpus Chri-  
 sti realiter & verè circumscriptum ac sensibi-  
 le, non quod ex se, aut ratione suæ naturæ tale  
 quiddam esse possit aut debeat, sed quod actu  
 jam tale sit in ipsa cum Verbo unione. Quare  
 nisi *Ἐρωμαχέων* velis, necesse habere te, alteru-  
 tram contradictionis hujus partem, ut falsam,  
 missam facere: impossibile enim esse duos  
 ejusmodi actus in una eademque re contradi-  
 ctoriè oppositos simul stare. Quid verò tu,  
 Hofmanne, ad hæc? Quoniam pressari te sen-  
 tiebas; quod impostores solent viribus cir-  
 cumventi, ab artibus tuis præsidium mutuatus  
 es. Primum confugia diversa tibi statuisti, ut si  
 uno tutus esse non posses, ad aliud, ac rursus  
 inde ad aliud receptum haberes. Deinde, mo-  
 dò largiri, modò rursus negare quod largitus  
 eras, velut uno vestigio stans non vereris. Po-  
 stremo ad sepiaè ingenium reversus, consulto  
 ita loqueris, aut potius caligine te involvis, ut  
 liberè fatear, etiam nunc, quid in plerisq; lo-  
 cis dicere velis, quisve verus tuus sensus sit,  
 quamquam aliquid conjectem, tamen me cer-  
 tō scire aut mecum statuere non posse. Id verò  
 maximè expedire tibi in hac fortuna rebaris,  
 ut inter nebulas illas elapsus, discrimen ex-  
 tremum evaderes. Sed si conjectura uti licet,  
 atque

atque hoc promere, quod per tenebras velut  
 perspicere mihi videor, hoc dicere velle vide-  
 ris: verum corpus etiam esse, quod proprias  
 notas corporis, circumscriptionem, dimensi-  
 onem, partium positum, visibilem & palpabi-  
 lem conditionem non habeat: ideo non sequi,  
 his notis negatis, veritatem corporis negari,  
 atq; ita, etiam si deprehēderis negare omnes  
 illas notas, non tamē propterea contradic-  
 tionem tibi objici, id est, corpus, non corpus, im-  
 putari tibi posse. Deinde ne concedere qui-  
 dem te, per multipræsentiam tolli aut negari  
 circumscriptionem, atq; ea ratione contradi-  
 ctionem objectam facile evadere: præterea ne  
 si dicas quidem, idem corpus circumscriptum  
 & non circumscriptum, idem sensibile & non  
 sensibile, actumque etiam intelligas utrobique  
 in prædicato, & tempus intuearis idem, idcir-  
 co contradictionis lege te teneri, ob nescio  
 quas præstigias evagationis ac diversi respec-  
 tūs: postremò si cūcta reliqua ablata tibi sint,  
 & nullum contradictionis vitium monstrari  
 possit, tamen in Dei potentia te extremum re-  
 ceptum ac præsidium habere, quæ velut perum-  
 pere vincula contradictionis præsumptæ que-  
 as. Illi enim nihil impossibile. Quæ sanè talia  
 sunt, ut ob falsitatis evidentiam, quæ in prio-  
 ribus commonstrata est, refutatione quidem  
 ulteriore non opus habere videantur. Verum  
 ne quid affingere tibi existimemur, verba tua  
 in quibus momenta præcipua sunt, recensea-  
 mus. *Ad majorem, inquis, respondeo: Contradi-*

*Fortia, que verè talia probata sunt, in æternum non fore simul vera: Immotã enim esse Christi sententiã: Sermo vester sit, EST, EST; NON, NON; quod autem ultra hæc adjungitur, á malo est. Et huic regula Deum se obstringere, ut quòd mentiri nesciat. Bella sanè oratio, si in ea manendum tibi existimares. Sed mox, de conditionibus probæ contradictionis, aliquid subjicis, quod licet non satis intelligam, tamen monstri aliquid id alere suspicor. Necessè est, inquis, ut hæc conditiones diligentissime explorentur, maxime verò cùm agendum est contra expressam orationem Dei, & ab hac potius quàm ab ista regula recedendum putat. Sic enim omnino habent verba tua. Deinde porrò addis. Minor igitur exentienda est, & hic primum deliberandum, num Deo permittere velimus tantam sapientiam, qua nos nostramq; superet, ut nimirum, quod nos certo aliquo modo factum definimus, vel esse, in quo oppositio statuatur, alio modo fieri ac esse potuisse negemus. Hæc quorsum tendant, prudens lector observet: Nimirum ut hæreticus quilibet verbum Dei pravè acceptum citans, cùm alia ei loca & con-*

*Hæc non alio reprehensore opus habent, quàm ipso*

*Hofmanno, qui in seipsum sententiam dixit. Nam in Colloquio Quedelb. Chemarium & ceteros graviter reprehendit, simili modo abutentes argumento omnipotentia Dei ad tuendum dogma suum de omnipresèntia: deinde eosdem litera inhaerentes arguit, vero sensu omisso. Verba illie sunt, que nomine omnium collegarum Heshiusus dixit: Nachdem wir aber von Gottes willen nicht auf seiner Allmacht; sondern auf seinem hellen klaren wort müssen schliessen: Denn Gott thut nicht alles was er vermag/ weil in Gottes wort nicht offenbaret ist / daß Christi menschliche natur allenthalten/ oder bey allen creaturen gegenwertig sein/ so können wir solches auf Christi Allmacht/ oder auf seinem sizen zur rechten nicht schliessen. Item, Daß einer wolte sagen / es stehe gutschwort da: Vnder seine fässe: Darin muß ihm alles gegenwertig sein / solte nicht darauf. Dann es nicht so schlecht secundum literam zu verstehen/ sondern ist phrasis scriptura, vnd deutet dominationem yber alles; ac. Ecce persona mutata: ros eadem.*



sensus fidei opponuntur, quæ contradictionē cum dogmate ejus implicent, hoc fundamentum instructus dicere possit: etiamsi contradictoria hæc videantur, tamen scio Deum, qui utrumq; dixit, scire & posse utrumq; simul etiam verum præstare, licet nos id intelligere non queam<sup>9</sup>. Quam rem semel admissam, Deus bone, quæ confusio est sequutura? Nec hoc solum loco hoc dicis, Hofmanne, sed & prius dixisti, & quater deinceps paucas intra periodos rursus inculcabis. Post ostendis, verum corpus Christi tantum te credere; & duplicem ejusdem corporis veritatem, quam quidam cōmenti sint (Ubiquitarios notās) averfari: agnoscere etiam, veritatem illam nobis esse cōessentialem. Sed quod corpus visibile, palpabile, quantum & circumscriptum, & non aliud verum corpus ego statuam, hoc dicis pro errore te habere; ipse scilicet crassissimo errore Eutychniano oppressus, ut prius est liquidò demonstratum. Et rursus post pauca: *Si visibile & invisibile, similiaq; opposita concurrerint in uno subjecto, erunt extra subjecti substantiam, & sic opponentur salva corporis manēte substantia.* Quid tibi, Hofmanne, iste lusus verborum vult? si visibile & invisibile simul in eodem subjecto, ac respectu ejusdem accipis, & actum in utroque intelligis; quid potest evidentius dici ad contradictionis regulam, quam ipse laudasti, everendam? Sin aliter: quid verbis istis ad rem non pertinentibus opus fuit? De gradu autem remisso quod commentaris, si hoc ad

proprietates corporis CHRISTI referre vis,  
 hui quàm eris ridiculus? Et rursus ad po-  
 tentiam DEI ad contradictionis legem su-  
 perandum confugis. Dein subijcis: De cir-  
 cumscriptiōe sublata (nimirum per multipra-  
 sentiam) non esse probatam accusationem meam: nec  
 enim satis esse ad negandam circumscriptiōem cor-  
 poris, quod in pane vel loco panis non includatur: &  
 quamvis physica non ferat, ut à circumscriptiōe sepa-  
 retur localis inclusio, tamen hoc probare conaris argu-  
 mento miraculi, quo corpus CHRISTI transit  
 per corpus alterum, penetratione dimensionum facta,  
 salva circumscriptiōe: de quibus satis est in prio-  
 ribus responsum. Tum sic addis. Quod si etiam  
 defuisset circumscriptiō, non tamen defuisset verita-  
 tem corporis, eaq, de re te provocare ad superiora.  
 Idem verò & ego facio, & lectorem iudicem  
 inter nos cogniturum tibi defero. Paulò post  
 ita ais: Assentiri te thesibus meis 43. & 44. de uno  
 & eodem corpore Christi, eaq, vero & reali, quod ex  
 Maria assumptum in unione personali subsistat, sine  
 omni pluralitatis cogitatione: accipere etiam thesin  
 45. quòd tempus unum & idem nobiscum intuearis;  
 item 46. qua asseratur in predicatis utrobique actum  
 poni, id est, rem ipsam, si scilicet (vide quæso le-  
 ctor sepiam se occultantem) actus intra limites  
 dispositus, & 47. & 48. thesibus repetitis contineatur,  
 i.e. realis & veri corporis realis & vera presentia citra  
 evagationem servetur. Quis ista intelligat, præser-  
 tim si ad theses quæ citantur, referantur? Sed  
 quæ adjicis consideremus. Evagationem, inquis,  
 dico, cum ab eo, quod veritatem corporis non constituit,  
 ut

at circumscriptum, sensibile, quodq; dum sensus exqui-  
 sitos & non impeditos effugit, vel etiam omnino aufer-  
 tur, veritatem corporis non tollit, hoc inquam vel non  
 demonstrato vel negato, cum proceditur ad destructio-  
 nem veritatis corporis Christi, dico disputationem per-  
 egrinari ab actu huc pertinente, & sententiam eruditis  
 & bonis censendam subjicio. Hoc tu quidem spe-  
 ciosè profiteris, Hofmanne: sed quem bono-  
 rum futurum reris, qui judicare de re velit, nisi  
 te antè melius, quid sentias, explicueris? Pro-  
 grederis deinde: Hac de causa thesin 49. ut extrava-  
 gantem te rejicere. Non enim omnia, quæ in assumpto  
 ex Maria virgine corpore tum fuerunt, ad veritatem  
 corporis constituendam ita pertinuisse, ut nisi adessent,  
 corpus destruerent. Explodendam igitur ex proprie-  
 tatibus contradictionis propositis hanc thesin, traden-  
 tem quòd verum corpus circumscriptum, & sensibile,  
 necessariò intelligatur; & sic contra opinionem & spem  
 thesis 50. te à me dissentire in nervo, quo contradictio-  
 nem valere oporteat. Succumbentem igitur me in mi-  
 nore, tota quoq; causa cadere. Et sic quidem tu. pla-  
 na obscuris, vera falsis miscens, ut per confu-  
 sionem elabaris. Sed nos veritatis aperiendæ  
 causa thesin hanc 49. quam te rejicere libera-  
 ore profiteris, ita ut à nobis scripta fuit, lectori  
 hic subjiciamus. Cùm de actu in prædicatis  
 contradictoriarum per particulas verè & reali-  
 ter designato dictum esset thesibus tribus præ-  
 cedentibus, quibus te assentiri dixisti, subju-  
 git thesis 49. hoc modo: Atq; ideo intelligimus  
 corpus Christi realiter & vere circumscriptum, & sen-  
 sibile, non quod ex se, aut ratione naturæ suæ tale quid-



*dam esse possit aut debeat, sed quod actu jam tale sit in  
 ipsa cum Verbo unione. Et addit thesis 50. Nec  
 alium te hęc sensum habere profiteri audebis. Itane  
 veró præter expectationem ab hac thesi te dis-  
 sentire, Hofmanne? & quod pauló antè con-  
 cesseras prolixè, id rursum negare? tuamque  
 ipsius vanitatē ita ενδραργίζειν? Nec enim quic-  
 quam hęc dicitur, si rem spectes, quod nō prio-  
 res tres habuēre, quibus te accedere professus  
 es: de quo ad omnes sanæ mentis lectores pro-  
 voco. Tibi veró si turpe non reris, isto modo  
 calidum & frigidum, uno ex ore flare; quis mi-  
 retur deinceps, si tibi quoq; permittas contra-  
 dictoria simul asserere, atq; ita omnia reddere  
 incerta? Quis tecum sibi in posterum agēdum  
 existimet, qui Protheo te mutabiliorem præ-  
 stes? Quod si excusare te forte volens, priores  
 illas theses non satis á te intellectas dixeris;  
 primúm, quis tibi credet, homini præfertim  
 tam acuto & perspicaci, cum verba <sup>δέσσειν</sup> clara  
 & usitata sint? deinde, quid eo modo, ut ma-  
 ximè tibi fides adhibeatur, tamen profeceris?  
 Etenim ulcus, quod sub corde tacitum foves,  
 quodq; dissimulare modis omnibus conaris,  
 imprudēter prodideris: id nimirum, quod an-  
 ti theses meæ, si ipse verè crederes, quod de cæ-  
 na verbis profiterere, tibi objecerunt, cuius  
 pus ab Euty chete ad vos usq; dimanavit. Nam  
 si thesin hanc damnas, quæ prorsus id dicit &  
 docet, quod patrū confessio contra hæreticos  
 olim cōplexa fuit, nempe, quod corpus Chri-  
 sti non solum habuerit veras humani corporis  
 proprietates,*

proprietates, sed etiam nuncá resurrectione,  
 & in gloria sua habeat, adeoque in perpetuum  
 retineat, id est, veré circumscriptum, quantum  
 sensibile fit: necessum utique est, contrarium  
 ejus te tenere. An non ita? non opinor, te al-  
 liud dicere posse. Contrarium veró thesios  
 nunquid non hoc est, corpus Christi, cüm ex  
 Maria nasceretur, naturæ quidem ordine fu-  
 isse notis illis propriis corporum nostrorum  
 præditum, easque notas usurpasse, quoad in  
 terra inter homines fuit, ac, si naturam corpo-  
 ris respicias, etiam nunc hoc corpus ita esse af-  
 fectum, ut easdem habere possit aut debeat,  
 veruntamen actu nequaquam jam possidere,  
 id est, veré & realiter circumscriptum & sensi-  
 bile non esse? Et quæ hæreseos Eutycharæ,  
 quam Acephali aluerunt, confessio expressior?  
 Age aude contradicere, ut notior etiam hinc  
 frons tua fiat. Atque hoc illud est, quod te  
 vel invitum agnoscere consequentiæ neces-  
 sitas cogit, si Sacramentarium dogma tuum  
 ex animò credere, videri vis. Nam ut hæc  
 confessio cum dogmate eo recté consentit;  
 ita si ab hac confessione recedis; contradi-  
 ctionem te implicare cum dogmate eodem  
 necesse est. Unde optima ratione sequitur,  
 aut Sacramentarium dogma, ut tu id ver-  
 bis exponis, tibi missum faciendum, quod  
 facere non vis: aut de contradictoriis si-  
 mul non recipiendis regulam abnegandam,  
 quod committere te nolle in Apologia,  
*Stoquax* infamiæ declinandæ causa testaris;

*De respectu  
diverso ad  
enervandam  
contradi-  
ctionem.*

aut in hac ipsa, quam hoc loco imprudenter e-  
dis, Eutychemismi confessione acquiescen-  
dum. Ita rursus in mala tuenda causa, dum  
scopulum unum effugere vis, in alium nihilo  
leviorem, navigium tuum impingis. Reli-  
quum est postremum tergiversationis tuæ cō-  
tra contradictionem objectam argumentum,  
de respectu diverso. Quod si tuis verbis reci-  
taverimus, videbit rursus lector, quā verum  
sit quod de sepia ingenio tibi objecimus. Con-  
tradictoria huiusmodi, inquis, hoc est, quæ ad signifi-  
cata potius quam ad firmamenta conveniunt, simul vera  
esse non possunt. Et post pauca, ubi respectum  
diversum explicas: Atq; respectus corporis Christi,  
de quo tanquam subjecto contradictoria predicantur,  
alius est, quo veritas corporis & essentia constat; alius,  
quo veritas describitur quantitatis, qualitatis, alio-  
rumq; accidentium in ipso herentium, quæ licet data  
ad affirmandam veritatem corporis, quoniam propria  
sunt, valeant, ad negandum tamen eandem cum absint,  
tantundem non possunt, quoniam accidentalia sunt,  
non essentialia propria. Quis hoc intelligit, Ad si-  
gnificata potius quam ad firmamenta? Quis assequi  
potest, quid his verbis velis, Alius respectus corpo-  
ris Christi, quo veritas corporis & essentia constat; alius  
quo veritas describitur quantitatis, qualitatis, alio-  
rumq; accidentium in ipso herentium? Nebule sunt,  
quas effundere mentib. nostris vafro consilio  
studes,

*Observa, quo  
pertinacia nō  
adigat homi-  
nem. Quæ hoc  
loco facit Hof-*

*mannus, ac ad sulciendam causam suam usurpat, ea cum Hesius suo in Colloquio Quæ-  
delb. in Kyehnero & Ubiquitaris graviter reprehendit. Vide sol. G. 1. Ubi hæc verba  
sunt: Respectus cuius sit mentio in maiore, nullum hic habet locum: Est so-  
nus sine re, verbaq; inania. Item: Non jam quaritur, an hoc vel illo respe-*



studes, ut earum præsidio te occultans, declinato aciei periculo, è pressura evadas. Ad quas non antè responsum expectabis, quàm quem libit, sensum recondas, planius explicueris. Nunc hoc tantum regetere suffecerit, frustra te diversum respectum subjecti obtendere, nisi aut diversum tempus, aut diversa corpora, aut denique ejusdem corporis diversos status in unione personali cum Deo & conjunctione cum pane in Sacramento disertè statueris. Quam rem dijudicandam lectori permitto, ac ad ea, quæ prius exposita sunt, me refero.

Sed addis tu, quo plura tibi refugia pares, quod etiam in Philosophia accurata consideratione necessitati consequentiæ hinc inde detrahatur: perinde ac si diceres, non esse ulli argumentationi etiam firmissimæ, ullisve consequentiæ regulis confidendum, ne qua opinio temere hausta, qualis vestra hæc est, in discrimen propterea veniat. Postremò ita conclusis, velut ad sacram ancoram in extremo periculo te recepturus. *Quid igitur futurum metuemus, si potentia Dei advocaverimus, non ut contradictoria simul & semel vera fiant, quod nunquam contendimus* (imò verò hoc tu maxime contendis, aut certe aliud loqueris, aliud in corde abditum habes, quòd virum bonum, nedum Theologum, non decet) *sed ut contradictionis præsumtio enervetur?* De quo, cum prius abunde responsum à nobis sit, hinc iterata re eadem, molesti esse lectori nolumus.

Atque hæc sunt Hofmanne, quæ hoc tem-

\* At hoc sequatur, vel esse possit: Aliena sunt hæc ab argumento, & fallaciam inferunt propositionum. Rescanda ea sunt, quæ nihil ad rem faciunt, nisi quod veritatis inquisitionem obscuris nebulis involvant. *Holbe- rus illic Hes- husius pro collegis lo- quens. Hæc eadem perso- nis mutatis contra se his dicta cogit.* Hofmannus: in exemplo hoc Kirchneri & Ubiquitariorum ve- lut in speculo se & argu- mentationes suas contem- pletur; alia in causa contra fraudes suas senes sententiam tulisse, sua, se oro damnasse agnoscat.

pore arrogantissimo æque ac virulentissimo scripto tuo, quo voluisse te tantum omnino præstare, quantum potuisti, satis apparet, opponere, tuique supercilii dejiciendi causa in medium adferre mihi visum fuit. Quibus etsi te emendatum iri non multum sperem (nam pertinacia tua & ambitio obstant) lectori tamen, quanta vanitas tua sit, & impudètia, quantam in doctrina absurditas & confusio, manifestum esse hinc futurum non despero. Tibi vero interea meliorem mentem opto, teq; monero ac rogo, ut ita in posterum de hac doctrinæ parte loquaris & scribas, ne, quod olim de Epicuro verè dictum fuit, eum verbo prolixè deos confiteri, ut pœnas legum vitaret, re ipsa haud dubie tollere, id pari ratione de te dici quoq; possit, verbis quidem te veritatem corporis Christi ad vulgus præclare confiteri, quo Eutycharæ hæreseos infamiam evadas, revera autem eandem disputando prorsus evertere ac abnegare.

Recht muß doch recht bleiben / vnd dem werden alle fromme hertzen beyfallen.





